ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

cV2

L

TRACTATUS DUO

NEMPE

DE MORBIS PUERORUM,

ET DE MORBIS CUTANEIS.

TRACTATUS
METHODICI PRACTICI
IN DUOS TOMOS DIVISI

AUCTORE

FRANCISCO BOISSIER
DE SAUVAGES

Regis Conſiliario, ac Medico, Medicinæ & Botanices Profeſſore Regio, Acad. Monſpell. Londinenſis, Berolinenſis, Upſalienſis Suecicæ, Naturæ Curioſorum, Bononienſis, Florentinæ, ac Phyſico-Botanicæ Socio.

TOMUS PRIMUS

DE MORBIS PUERORUM.

NEAPOLI MDCCLXXVIII.
Typis & expenſis CAJETANI CASTELLANO.
SUPERIORUM PERMISSU.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

VIRI ſolidiſſima inſtructi doctrina, ingenii ſui dotes a natura conceſſas tanquam vectigal ſolvendum Patriæ debent. Nullus ipſis gratior finis eſſe debet, nulla optatior vigiliarum ac lucubrationum merces, quam ſi utilitati publicæ conſulant. Egregium illud munus incumbit præſertim Medicis, quorum in adjuvanda hominum ſalute directe ac unice tendit ſcopus. Innumeri igitur in arte peritiſſimi hocce nobili incitati, incenſique deſiderio, ſcriptis eximiis, luculentis obſervationibus, quæ veritatum medicarum matrem experientiam conſtituunt, Medicinæ dignitatem amplificarunt, famam poſteris tranſmiſerunt, & haud leve humano generi compendium attulerunt. Hujus operis Auctorem multis jam antea Scriptis eruditis celebratiſſimum, necnon feliciſſimum in illorum numero aſcribi poſſe, deterſo vanæ adulationis fuco, lubenter aſſerimus; qui quidem cum ſapientibus multum ratus duos fontes eſſe, quibus quaſi luciferis ad veritatis faſtigium recta dirigimur, experientia nempe vera & ſana ratio, quæcumque profert, experientia & ratione, quantum fas eſt, confirmat: proinde igitur quanta & quam ampliſſima ſalutiferæ arti afferre valent incrementa tractatus illi, quos publici juris facimus, cum & Auctori ſuo nihil antiquius fuerit, quam ut quidquid per aſſiduam meditationem, longamque experientiam & didicerat & confirmatum habebat, ad publicam utilitatem illud omne conferret: nihil ergo junioribus Medicis gratius & utilius

fieri

fieri posse existimavimus, quam si noster eo totus incumberet labor, ut eximium opus illud, quod demersum jampridem tenebris latebat in lucem prodiret, typisque mandaretur; cum enim necessarium nihil magis sit, quam ex Auctorum bonæ notæ scriptis succum ac robur elicere, illos sibi in agendo exemplar proponere, mentem cogitationemque suam ad hominum excellentium exemplum componere, id bonæ rei maximique momenti esse duximus, si Medicinæ studiosi ex hoc illustrissimi viri opere tanquam e purissimo fonte cognitiones haurirent; maximum exinde, uberioremque fructum ad artis medendi tam desideratam certitudinem redundare posse confidimus.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *De puero recens nato alendo*, pag. 2
II. *De modo puerorum a lacte depellendi*, 5
III. *De cruſta lactea*, 7
IV. *De Tinea*, 11
V. *De Phthiriaſi, ſeu morbo pediculari*, 15
VI. *De Hydrocephalo*, 20
VII. *De Epilepſia, & motibus convulſivis*, 34
VIII. *De Vigiliis*, 40
IX. *De Pavore nocturno*, 44
X. *De Strabiſmo*, 47
XI. *De aurium inflammatione & ulcere*, 49
XII. *De Aphtis*, 51
XIII. *De vinculo linguæ ſolvendo, & Ranula ſub lingua*, 56
XIV. *De difficili Dentitione*, 59
XV. *De Tuſſi puerorum*, 64
XVI. *De Vomitu & ſingultu*, 67
XVII. *De Torminibus puerorum, ſeu colico dolore*, 72
XVIII. *De Alvi fluxu*, 77
XIX. *De Lumbricis*, 82
XX. *De alvi conſtipatione*, 85
XXI. *De ani procidentia*, 91
XXII. *De urinæ incontinentia*, 94
XXIII. *De calculo veſicæ urinariæ*, 97
XXIV. *De Intertrigine*, 100
XXV. *De Hernia*, 103
XXVI. *De hypochondriorum & ventris intumeſcentia*, 108
XXVII. *De Macie*, 113
XXVIII. *De Rachitide*, 118

CAP. XXXIX. *De Tumoribus ſtrumoſis*, 127
XXX. *De Variolis & Morbillis*, 137
ART. 1. *De cauſa Variolarum*, 139
2. *De Morbillis*, 146
3. *De definitione & differentiis Variolarum*, 151
4. *De ſymptomatum quæ in Variolis obſervantur explicatione*, 153
5. *De diagnoſi & prognoſi Variolarum*, 157
6. *De curatione Variolarum*, 159
7. *De Variolis lymphaticis*, *Gallice* la Vérole volante, 166

TACTATUS PRIMUS

DE MORBIS INFANTUM,

ET PUERORUM.

HOMO a primo ortu, ad annum usque septimum, *Infans* dicitur: *Puer* vero a decimo usque ad decimum quintum: in hac ætate vasa, seu partes solidæ, tenera & nimis mollia sunt, & laxa; nec sat vegeta humorum compages causis morbosis parum resistit; rursus, quoniam corpus infantum accretione, & ulteriori partium explicatione eget, hinc infinita morborum infantes aggredientium series nascitur: nam præterquamquod ob teneram solidorum constitutionem, & non sat vegetam humorum compagem facilius adultis affici possunt; quidam adhuc sunt affectus ab hac ætate inseparabiles, qui ab accretione, aut ulteriori partium explicatione manant: quapropter non omnes affe-

ctus, quos inter morbos infantum annumerabimus, iis particulares cenſendi ſunt, cum in adultis etiam obſerventur; ſed præter eos qui ipſis ſunt peculiares, alios quoque exponemus, qui tametſi infantibus & adultis communes ſint, illis tamen peculiariter tribui poſſe videntur, cum infantes præ adultis ſæpius aggrediantur.

CAPUT PRIMUM.

De puero recens nato alendo.

UT primum infans in lucem fuit editus, linteis calidis excipiendus, ne ab aeris ambientis inaſſueto frigore lædatur, funiculo umbilicali prope umbilicum reſecto, fortiter filo ligato, ne amplius quidquam ſanguinis e prole per arterias umbilicales exeat; ſordes quas in utero contraxit, vino tepido, auferre oportet; poſtea pedes, reliquaſque partes debite componere, ne ob mollitiem vitioſam figuram acquirant; ac faſciis totum corpus molliter ligare, atque in cunabulo calido reponere, ubi per plures horas abſque alimento erit donec feceſſu aut vomitu rejecerit materiam quamdam flavam viſcidam mœconium dictam, quæ toto graviditatis tempore in ſtomacho fuit congeſta, quæque veroſimiliter ſuppeditata videtur ab humore illo in quo fetus innatat, quique motu liquidi in os fetus irruens, paulatim per œſophagum ventriculum ſubire poteſt: hæc autem materia lacti adeo infenſa eſt, ut ſi non rejiciatur, tormina, febrem, motus convulſivos, & graviſſima mala, lac corrumpendo pariat. Idcirco ſolent obſtetrices ad eam evacuandam mellis Narbonenſis unciam unam infanti exhibere, quo vomi-

mitus, & alvi depoſitio producitur: verum ſi mel ad hanc materiem expellendam non ſat valeat, tranſacto decem aut duodecim horarum ſpatio, lac parvulo exhibere oportet, ne defectu alimenti virium languor fiat. Hæc aliquando materia ſponte per anum excernitur; ſi ſufficiens ipſius non fuerit excretio, ſequens parabitur potio purgans.

℞. *Folior. oriental. num. vj. coq. leviter in aq. fontan. unc. ij. diſſolv. mann. calabrin. dr. v. colet. & exprimat. fiat potio, quæ vice duplici exhibeatur.*

Si prima exhibita mœconium ſufficienter expellat, ſecunda non exhibetur: ſecus, elapſa hora alteram exhibere oportet: at ſi hæc materia adeo tenax & viſcida ſit, ut huic quoque purganti reſiſtat, quod ex gravibus, quæ pariet ſymptomatis ſupra recenſitis noſcetur, vini emetici drachma una cum cochleari infuſionis ſennæ, ut ſupra exhibebitur: expulſo mœconio, lac tuto infanti exhiberi poterit: quoniam vero ſtomachus infantum debilis nimis eſt, quam ut cibos ſolidos ſubigere, & coquere valeat, idcirco ſolo lacte eos alere oportet, quod eſt cibus magis idoneus: Medicum vero decet, boni lactis dotes noſcere, quia malum parvulo nocere poteſt.

Lac bonum erit, ſi albicans, dulce, & mediæ ſit conſiſtentiæ, ita ut nec craſſius, nec tenuius ſit; albedo viſu dignoſcitur, dulcedo guſtu: bonum enim lac ſuaviter titillat organum guſtus; malum vero ingrate afficit, quod ulterius patebit lac in oculum immittendo, ſi ſalſum & calidum ſit, ut vulgo dicitur, adnatam membranam vellicabit: ſi vero oculus lactis applicationem ferat, lac bonum judicabitur: laudabilis ejus conſiſtentia hoc ſigno indicabitur: ponatur lactis guttula ſu-

pra unguem, ſi effundatur, tenuis eſt, & calidum, diſſolutumque: ſi nimis adhæret, craſſius; ſimiliter, ſi manui inverſæ in guttulas albicantes adhæreat, bonum eſt: ſi totum defluat, tenuius, & malum: rurſus, lac mulſum in manus, quod frigidum percipitur, bonum eſt: calidum vero, malum: demum obſervandum eſt an odorem ſuavem, necne, ſpargat; nam boni lactis dotes odor quoque demonſtrat.

Verum & nutricem examinare neceſſe eſt; quoniam enim lac chylus eſt cum ſanguine per vaſa ſæpius provolutus, priuſquam in mammis ſecernatur, ex eo liquet lac peſſimum eſſe poſſe, ſi ſanguis nutricis aliqua lue inquinetur, ut ſcorbutica, venerea, ſcrofuloſa, vel ſi ipſa a parentibus morbo quopiam contagioſo laborantibus oriunda, ut phthiſi, epilepſia, &c. quorum morborum femina lac contrahere, ac proli communicare poterit. Rurſus, attendere oportet an morbo præſente laboret, ut ſcabie, tinea maligna, herpetibus, aliiſque notabile ſanguinis vitium demonſtrantibus; quapropter optimum erit parentes nutricis noſcere, ut omnis morbi contagioſi ſuſpicio amoveatur. Rurſus, utile eſt ſcire an nutrix ad iram proclivis, vel ſæpius, & levi de cauſa, vehementibus animi pathematibus corripiatur, qui motus animi lac potenter alterant, & morborum gravium ſemina proli communicant; bona igitur nutrix erit, quæ juvenis, bonis moribus, ad iram & venerem non proclivis, menſtruo fluxu carens, nec obeſa, nec macilenta, mammas habens oblongas, papiliam ejuſdem figuræ, non craſſas & tumidas nimis, quia a pinguedinis potius quam lactis copia tales fiunt, quæ leviter preſſæ per plures rivulos lac eructant; demum lac recens, nec vetus ſit; vetus enim pinguius & craſſius eſt quam ut ab infantis ſtomacho ferri poſſit, accreſcit facici-

cile; ſanguinem inſpiſſat, vaſa obſtruit, hinc morbi varii naſcuntur: recens vero aquoſius & fluidius ſtomacho lactentis magis congruum: aquoſius autem eſt ſtatim a partu, nec debitam conſiſtentiam acquirit, niſi decem, aut quindecim elapſis poſt partum diebus, tunc nato exhibere oportet; lacte tantum parvulus veſcatur per quinque, ſex, vel octo menſes, donec ejus ſtomachus vegetior factus, cibos paulo ſolidiores ferre poſſit. Hac adveniente ætate pulticula, vel panis carnium juribus coctus conceditur; ſolent mulieres noſtrates panem in aqua coquere, addito ſalis communis tantillo, & oleo cochleare: creſcente puero, & ultra annum provecto, factaque dentium aliqua eruptione, offæ, panis, ova ſorbilia ipſis offeruntur. Carnes vero præbere peſſimum, quia ſtomachus nondum ſat vegetus eſt, ut eas coquere valeat, hinc putredinis copioſa congeſtio, pluresque morbi oriuntur.

Licet dixerimus lacte muliebri puerum eſſe alendum, attamen, ipſo deficiente, caprillum aut aſininum, vel vaccinum poteſt exhiberi. Vidi pueros lac caprile lugentes, qui integra ſanitate fruebantur; idcirco neceſſitate urgente, caprillum pueris cibus eſſe poterit, quod vaccino tenuius eſt, & aſinino ſpiſſius.

CAPUT II.

De modo puerum a lacte depellendi.

TEmpus puerum a lacte depellendi in omnibus idem non eſt; a decimo octavo menſe ad duos annos utplurimum pueri lactis uſum ceſſant; quidam citius, alii tardius, qui vegetiores,

& plures dentes habent, citius aliis lacte carere poſſunt; aliqui adeo infirmi & debiles ſunt, ut lacte diu veſci indigeant: quidam a parentibus vel nutrice, ab ortu ſanguinis acrimoniam contraxerunt adeo ut lac plures ad annos ipſis neceſſarium ſit, quo humorum acrimonia demulceatur. Verum creſcente puero, robuſto, & vegeto facto, & ſufficienti dentium numero erupto, a lacte depellatur vere aut autumno, quia tempeſtate mitiore ciborum mutationem facilius fert, & hoc tempore cibi ſolidiores ſæpius ſunt offerendi, ut paulatim ipſis aſſueſcat: remota nutrice offæ, panatellæ, ova ſorbilia, pulticulæ, panis, aliique cibi facilis coctionis dabuntur; aqua fontana erit pro potu, quia vinum ſanguinis motum nimis concitaret; quater in die puer cibabitur, ſed modice, ne nimia ciborum copia ſtomachus aggravetur, hoc modo per ſex aut octo dies cibatus purgabitur, ne coctionis reliquiæ præ mora putreſcentes, febres, vomitum, diarrhœam, aut alium affectum producant.

℞. *Senn. mundat. rhabarb. contuſ. ana dr. ſem. ſemin. contr. p.* 1. *coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. unc. iij. diſſolv. mann. calabr. unc. j.*

Celebrata purgatione puer, ut ſupra, cibabitur, donec quartum aut ſextum annum attigerit, tunc carnes elixæ, vel aſſæ modica quantitate ipſi concedentur, quia ſtomachus vegetior ſolidorum ciborum coctionem melius abſolvere poteſt.

CA-

CAPUT III.

De Cruſta lactea.

CRuſta lactea incipit a veſiculis albicantibus, poſtea luteis, quibus ſuccedit cruſta cum ichoris effluxu & maximo partis affectæ pruritu; caput frequenter & faciem occupat, & aliquando per totum corpus oſtenditur, achores & favi nominantur, tinea a noſtratibus dicitur.

Cruſta lactea, ſeu achores ſunt ulcera cruſtoſa caput utplurimum & faciem præſertim in lactentibus aggredientia, e quibus ichor effluit cum pruritu. Auctores hoc diſcrimen ponunt inter achores & favos, quod in achoribus foramina e quibus ichor ſtillat minora ſint; in favis vero majora.

Cauſa proxima cruſtæ lacteæ eſt viſciditas & acrimonia ſucci lymphatici per habitum corporis provoluti: quoniam autem lympha ob viſciditatem tardius quam par eſt, per cutem promovetur, ibi accumulata veſiculas illico parit. Verum quoniam altera a retro ſequitur lympha, nova humoris lymphatici copia accedente, veſiculæ creſcent, albæ & pellucidæ erunt ob colorem & conſiſtentiam humoris hærentis: verum mora & calore partium vicinarum, ſero diſſipato, luteus atque viſcidior fiet humor hærens, qui veſiculas, in quibus continetur nimis dilatando, & vaſa ſanguifera vicina comprimendo, ruptionem vaſorum promovebit, quam ſuppuratio mox ſequetur. Verum hic humor ab aeris contactu ulteriorem viſciditatem adeptus, cruſtam efficit ſub qua humores continuo effuſi, continuam quoque ſuppurationem efficient; hinc ſanies ſeu ichor, quem ulcera cruſtoſa effundunt cum

pruritu, quia lympha extravaſata, & putreſcens, acer, atque ſalina partes vellicat, & mordet. Hinc ulcera caput, & faciem præ aliis partibus infeſtant, quia ob aeris ambientis contactum humorum motus ibi facilius ſiſtitur, in univerſum extenditur corporis habitum, dum lympha viſciditatis & acrimoniæ plus particeps eſt.

Lympham viſcidam & acrem reddunt mala lactis in ſtomacho infantis præparatio præ mora aceſcentis & corrupti, ſanguini viſciditatem & acrimoniam communicantis; pravi ſucci a ſanguine materno communicati, & in utero ſuſcepti, lac quoque, quod parvulus ſugit, calidum & ſalſum, morbi quibus afficitur, aut fuit correptus, ut tormina, vigiliæ, &c. a quibus omnibus ſalium exſuperantia in ſanguine fit, ſicque lymphæ fluiditas, & dulcedo tollitur.

Quandoquidem cruſta lactea caput, & faciem occupat, non totius lymphæ, ſed alicujus tantum portionis vitium ſignificat, ideo puer obeſus & ſanus aliunde videri poteſt; ſed ob pruritum vigiliis torquetur. Verum ſi univerſus corporis habitus afficiatur, quoniam id totius maſſæ vitium ſupponit, hinc quoque vigiliæ majores, ejulatus fere continui, & macies quædam in puero obſervantur.

DIAGNOSIS.

Facile memorati affectus noſcuntur ex eorum allata definitione: a ſcabie cruſta lactea differt, quia tumores in ſcabie incipiente minores, in cruſta lactea majores & pellucidi ſunt; a tinea maligna, quæ raro infantes infeſtat, quia in iſta cruſtæ duriores & virides ſunt, nec non major eſt pruritus, quam in cruſta lactea cum capillorum defluvio.

Cauſa remota facile noſci poteſt, attendendo ad

ad ea quæ præceſſere, præſertim ad matris & nutricis remperamentum, & morbos, quibus fuere conflictatæ.

PROGNOSIS.

Hic morbus ſalutaris & utilis eſt, cum ſit utplurimum ſanguinis ſuam depurationem molientis, effectus, & ideo non exſiccanda, neque arte ſananda ſunt ulcuſcula; ne intus repellatur id, quod tanquam nocivum natura foras expellebat, & ideo plures ſubito periere infantes, quibus nutrices, mulierculæ aut empyrici Medici remedia præbuere ad hæc ulcera ſananda. Quapropter tantum abeſt, ut arte exſiccanda atque conſolidanda ſint, quin potius effluxus humorum promovendus, donec abſoluta ſanguinis depuratione, ſolius naturæ viribus ulcera evaneſcant, ut vulgo fit. Attamen ulcuſcula hæc non deſpicienda, ſed ſordes, quas emittunt, caute & accurate detergere oportet, ne humor ulcuſcula producens, acrior factus rodat ulterius, aut cruſta lactea in tineam mali moris mutetur.

CURATIO

Quandoquidem ſalutaris & utilis eſt effluxus ichoris e cruſta lactea ſtillantis, non cohibendus ergo, ſed potius promovendus; quapropter infans domi detinebitur, ne ab aere frigido, vel vento ſubito cohibeatur effluxus; & ichor intus retentus in cerebrum aut pulmones irruat, ſuaque viſciditate ductus horum viſcerum capillares obſtruens, ſuffocationem vel ſoporem cum motibus convulſivis, aliaque mala graviſſima afferat; ſordes linteis abſtergendæ, &, ſi ſubito, citiuſque ulcera exſiccentur, folia betæ imponere oportet, quibus cruſtæ emollitæ ichoris effluxum permittunt: at-

tamen quoniam cruſta lactea viſciditatem & acrimoniam ſupponit in humoribus, lac nutricis explorare oportet. Nam ſi craſſius, calidius, vel falſum eſſet, tenuius & dulcius feligeretur. Lacte ſic explorato, requiritur adhuc ut nutrix ſe abſtineat ab omni violento animi pathemate & corporis motu, nec cibos edat craſſos, viſcidos, aſcidos, ſalſos, aut piperatos, quoniam has omnes dotes acquireret, & proli multum noceret; propterea identidem ſic purgabitur, ſi puer ſit a decem aut paulo ultra, menſibus natus.

℞. *Senn. mundat. dr. i. ſemin. contr. p.* 1. *coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. unc. ij. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. adde ſyrup. perſicor. unc. ſem. capiat.*

Nihil ultra moliendum, ſed expectandum donec natura ulcuſcula exſiccet, & ſanguinis maſſa depurata fuerit: verum ſi ulcera rodant nimis, ne oſſibus cranii cariem afferrent, parti, ubi major eroſio videbitur, oleum ovorum vel amygdalarum dulcium, aut lini illiniatur & ſi eroſio adhuc perſeveret, vel augeatur, unguentum ſequens parabitur parti applicandum.

℞. *Ol. ovor. unc. iij. ol. amygdalar. dulc. ſine igne parat. unc. i. tuth. præparat. dr. ij. Sal. Saturn. & aloes pulverat. ana dr. i. ſ. unguentum.*

Aut unguentum de lithargyro, ſeu de tribus imponatur, cavendo ne nimis ulcera exſiccentur: quapropter, ceſſante corroſione, nihil applicare oportet.

GA-

CAPUT IV.

De Tinea.

VErum cruſta lactea ſæpe in Tineam mali moris convertitur, idcirco de ea in hoc capite agendum eſt.

Tineam conſtituunt ulcera cruſtoſa, viridia, crocea, aut albicantia e quibus ichor fetens parva quantitate; ſed cum pruritu maximo exit, furfuracea aliquando eſt, quia ſquamas, dum ſcalpitur, furfuri ſimiles emittit. Recens adhuc eſt, vel inveterata, caput utplurimum, faciem fere nunquam, alias vero partes raro afficit: pueros præ lactentibus aggreditur, quia ſanguis & victus humidior lactentium eam ſæpe profligat, ſecus vero in pueris qui ſuccos pravos in ſanguine congerunt; adultis quoque accidit.

Cauſa proxima eſt materia viſcida ſumme acer, & mordax in parte affecta affuſa: quoniam autem talis materia ob viſciditatem per capitis vaſa difficillime movetur, obſtruit canaliculos, ſicque retardato humorum motu, vaſa aperiri neceſſum eſt, unde cruſtæ naſcuntur; ſed materia, quæ effunditur, ulteriorem acredinem hærendo acquirit: rodet igitur partes, & ulcera efficiet e quibus ichor fetens parva quantitate, ſed maximo cum pruritu exibit; qui acrimoniam humoris effuſi demonſtrat, a quo, vaſis exſiccatis & excorrugatis, cavitates fiunt minimæ amplitudinis, unde cruſta ulcera obducuntur, fit ſiccior quam in achoribus & favis, viridis cernitur, nec non ſcalptu in ſquamas furfuraceas abit. Rurſus, quoniam in capitis tegumentis radices capillorum ſunt, implantantur in bulbis, qui autopſia anatomica patent, aridita-

te

te & roſione textura bulborum deſtruetur, & alopecia tineam ſemper ſequetur, imo roſa penitus bulborum ſubſtantia, curata tinea, nec capilli redibunt; hinc calvities, quam poſt ſe nonnunquam relinquit. Quoniam vero tinea humores acres & mordaces in ſanguine ſupponit, ex eo quoque liquet ſanguinem ſic conſtitutum, partes debite alere non poſſe, & ideo tinea laborantes marceſcunt, licet vigente appetitu multum ciborum ingerant. Tandem quia pruritus continuus, & moleſtus eſt, ex eo etiam vigiliæ importunæ naſcuntur.

Tineam pariunt achores & ſavi neglecti, quorum ſordes non deterguntur, diu perſeverantes cum lacte ſalſiori & calidiori, præſertim ſi nutrix venerem ardenter appetat, aut expleat, immodice exerceatur, ira vel animi vehementi pathemate ſæpe corripiatur, cum experientia docuerit nutricem ira immodica etiam ſemel correptam lactenti tineam dediſſe; ſi cibis ſalſis, piperatis, calidis, & exſiccantibus veſcatur; ſi ipſa ſcorbutica, ſcroſuloſa aut atrabilaria ſanguinis conſtitutione laboret; demum ſi fluorem album, vel gonorrhœam aut luem veneream patiatur: pueris autem accidit negligentia ſordes capitis detergendi, victu pravo, uſu ſalſorum & exſiccantium, ſuppreſſa evacuatione, qua ſanguis ſuccis pravis exoneratur; demum per contagium afficit, ſi tegumenta, quibus caput tinea laborantis tegebatur, abſque deterſione capiti alterius imponantur.

DIAGNOSIS.

Tinea a cruſta lactea diſtinguitur, quia ulcera in tinea ſicciora ſunt, cruſta viridi cinereave obducta, e quibus tantillum ichoris fetentis exit, cum maximo pruritu, nec non ſcalptu; furfureas ſqua-

ſquamas emittunt in cruſta lactea ulcera ſordidiora, & humidiora copioſum ichorem parum fetentem emittunt, minorque pruritus eſt, & cruſta minus ſicca, ſed nigra obducuntur. Cruſta lactea lactentes, tinea pueros, & adultos ſæpius aggreditur, iſta caput tantum utplurimum, altera caput & faciem indiſcriminatim infeſtat.

PROGNOSIS.

Tinea curatu difficilis eſt; recens & paulo humida facilius curatur inveterata & ſicca; dum cruſta ſquamas furfuraceas emittit, curationem difficilem ſignificat, quia major ſiccitas, majorque materiæ peccantis acrimonia ſignificatur; calvitiem totalem aut partialem poſt ſe relinquit, quia eroſo, & a materia acri combuſto bulbo, ubi capillus implantatur, capillus renaſci non poteſt.

CURATIO

Ad tineam curandam, duo neceſſario efficere oportet: 1. Humectanda, & demulcenda ſanguinis maſſa. 2. Ulcera capitis detergenda. Primæ indicationi prius inſiſtere oportet, quam ſecundæ ſatisfacere, cum ſalſuginoſa ſanguinis conſtitutio materiam acrem perpetuo præberet, nec ulcera ullo modo ſanari poſſent; idcirco diæta humectante, ſed forti inſtituta, ſimulque incraſſante, vinoque multum diluto, modica quantitate conceſſo, venæ ſectionem celebrare neceſſum eſt, quæ bit aut ter iterabitur juxta vires & ætatem ægrotantis. Si ſomnus abſit, ſyrupo papaveris albi, aut laudano cum emulſione exhibito conciliabitur; purgatio poſtea ſic inſtituetur.

℞. *Senn. mundat. dr. i. tartar. ſolubil. dr. ſem.*

epi-

epithym incis. dr. ij. semin. coriandr. p. i. coq. in aq. fontan. s. q. in colatur. & express. unc. v. dissolv. mann. calabrin. unc. i. & sem. add. syrup. flor. persicor. unc. i. f. pot. cum regimine exhibenda pro puero aliquot annos nato.

Altera die a purgatione, capiet mane jejuno stomacho jusculum sequens per decem dies continuandum.

℞. *Pull. junior. gallinac. extenterat. cujus venter implebit. hord. mundat. m. sem. vel semin. quat. frigid. major. mundat. unc. sem. coq. post despumat. per horam unam in aq. fontan. s. q. adde postea nasturt. acquat. m. i. cærefol. p.* i. *coq. per horæ quart. part. cola & exprime; colato & expresso jusculo add. succ. fumar. depurat. unc. ij. capiat.*

Finito jusculorum usu, æger iterum purgabitur, & capiet per quindecim dies haustum lactis vaccini ebutyrati cum æquis partibus decocti hordei; assumpto lacte ebutyrato, ægroque repurgato, ut supra, lac asininum per mensem præscribetur. Verum si his non sat demulceatur sanguinis massa, juscula viperarum præscribere oportet per dies viginti, & dein lac asininum; vigente æstatis calore, balnea domestica, & potus aquarum acidularum potenter tineam refrænant. His adhuc irritis, fontanella tibiæ vel brachio adhibebitur, ut sit emunctorium succorum salsuginosorum, quibus massa humorum inficitur. His tandem emendata vitiosa sanguinis crasi, ulcera topicis sanare oportet; lotio capitis per plures dies cum urina calente instituatur, & caput dein scopula detergatur; postea imponatur pix liquata adinstar unguenti, quæ fortiter agglu-

ti-

tinata cum vi avellatur, ut ſic cruſtæ auferantur, quo facto ſequens paretur unguentum; quo pelle denudatum caput inungetur tum ad dolorem ſedandum, tum ad cutem emolliendam.

℞. *Lithargyr. auri unc. i. ſal. ſaturn. & ceruſ. præpar. ana dr. iij. tuth. pulver. & aloes ſuccotrin. ana dr. ij. butyr. q. ſ. ol. ovor. unc. ij. miſc. ſ. unguent. ad uſum.*

Imminuto dolore, qui excoriationem ſequitur, unguento prædicto addi poterunt grana aliquot camphoræ, vel loco ceruſæ ponetur unguentum album Rhaſis ad unciam ſemiſſem.

Plura unguenta ab Auctoribus traduntur, ſed præſtantiſſima in hoc affectu prædicantur cum alumine, vitriolo, helleboro, ſtaphiſagria, radice & ſucco helenii, ſcabioſæ, ſumariæ, lapathi acuti, hydrargiro vivo, brionia, terebinthina, ſucco raphani, cæparum, ex quibus varia unguenta & emplaſtra parti imponenda parari poſſunt.

CAPUT V.

De Phthiriaſi, ſeu morbo pediculari.

POtius indecorum quam morboſum pediculos ubique naſci: eorum tamen copioſa generatio malam ſanguinis conſtitutionem ſignificat, cui mederi oportet. Hæc inſecta homines omnis ætatis, pueros tamen præcipue aggrediuntur; in capite utplurimum copioſe naſcuntur; quandoque per corpus univerſum pullulant. Hæc a materia putreſcente Antiqui generari credebant; ſed quam a veritate aliena ſit hæc opinio ſat evidenter demon-

monſtrat concinna & admirabilis prorſus partium diſpoſitio, quibus pediculi conſtant: corculum, lacertos, vaſa, viſcera, reliquaſque partes integrantes habent, tanto cum artificio comparata, ut ſoli Deo eorum productionem tribuere rationi conſonum ſit. Præterea modus propagandi, qui fit per lendes ſeu ova, e quibus pediculi naſcuntur, manifeſte evincit pediculos ſicuti reliqua animalcula ex ovis fieri, neque a putredine produci: ſupereſt igitur, ut nunc quæramus cur pediculi in nonnullis pueris tam copioſe naſcantur.

Quandoquidem ex ovis pediculi fiunt, ipſique ova quamplurima ad ſpeciei propagationem deſtinata, & coitu veroſimiliter fœcundata excludunt, ex eo aſſerere poſſumus maxima horum copiam cum cibis ſanguinem pervadere, & ab ipſo in partibus diverſis deponi; quod ſat evidenter probatur obſervationibus, quibus conſtat ex abſceſſu aperto pediculos magna quantitate fuiſſe extractos: quoniam igitur ubique in corpore ova pediculorum oriri poſſunt, nunc ſufficiat ut inquiramus quomodo ex iis naſci poſſunt: verum quoniam rudimenta pediculorum in ovis contenta pediculos ſenſibiles efficere non poſſunt, niſi accreſcant, nec accreſcere ſine pabulo, quæramus nunc quomodo pabulum ipſis ſuppeditatur.

Veritati ſat conſonum ſtatim videtur ova pediculorum in ſe humorem quempiam continere poſſe, quo per aliquod tempus nutriri, & accreſcere poſſint; dummodo a calore externo agitatus & commotus in corpuſculum pediculi irruere valeat; ſic bombices ex ovis calore tantum & abſque pabulo exterius adveniente naſcuntur, Verum ſi hæc admittantur, cum nec ova, nec calor in omnibus hominibus deſint, pediculi quoque in omnibus naſcerentur; quod tamen experientiæ adverſatur; idcirco credimus ova pediculorum pabulo exterius ad-

adventante egere, ut animal contentum excludatur; pabulum autem lendes penetrabit, vel per vaſorum poros aut oſtia eorum extus in hunc finem hiantia ſubibit; ſed quicumque admittatur ingrediendi modus, quoniam ovum pediculi totum minimum eſt, neceſſe etiam eſt, pabuli partes minimas & minimas eſſe, ut vias adeo inſenſibiles pervadere valeant; & ideo ſupponimus pabulum, quo pediculi naſcuntur, eſſe inſenſibilem tranſpirationem, tenuiſſimis partibus aquoſis præſertim & ſulphureis donatam; quapropter pediculi pueris adeo familiares ſunt; hinc qui pueri pediculis laborant, adulti ab iis immunes ſunt, mutata ſanguinis craſi.

Vidi pedicularem morbum in viro nobili quadragenario, humido & obeſo admodum ſordes in cute copioſe contrahente, quæcumque cura adhiberetur. Similiter phthiſicis pediculi frequenter accidunt; hac ratione in capite potius quam in aliis partibus externis pullulant, ob humiditatem & ſordes, quæ a capillis retinentur; ſic qui pediculos in capite gerunt, immunes deraſi evadunt: hos etiam inter cutem & cuticulam capitis adnatos Ariſtoteles obſervavit; vulgo tamen in cute externa naſcuntur. Pediculos generant ſordes veſtium & cutis diu relictæ; hinc homines immundi & pauperes eos abunde generant; etenim ſordibus relictis, halitus e corpore exeuntes, retinentur; hinc calor major, atque uberior partium diviſio ſequitur; hinc pediculorum pabulum & excluſio; ſic pediculi monachis familiares ſunt, quia veſtes raro mutant & induſiis non utuntur. Communicantur adhuc per contagium; ſic vir pediculoſus, alios, quibuſcum incubat, pediculis afficit. Dum a cauſa externa pediculi naſcuntur, & eorum productio a ſanguine minime fovetur, deterſis ſordibus, corpore mundato, mutatis ſæpe veſtibus, ceſſat pediculorum

DIAGNOSIS.

Phthiriasis signis non eget, ut dignoscatur, cum pediculi visui offerantur; hoc unice considerare oportet, an pediculi fuerint communicati, vel propter sordes contracti, aut si demum vitiosa sanguinis constitutio eorum natalibus favet.

PROGNOSIS.

Malum pediculare omni prorsus periculo caret, sed molestum & indecorum est; Aristoteles refert quosdam olim morbo pediculari obiisse, ut Alcmanum Poetam & Phetesidem Syrium; vix tamen credibile est pediculos quemquam jugulare posse; quapropter verosimilius est illos a vitiosa sanguinis constitutione morbos contraxisse, quibus obiere.

CURATIO.

Morbus pedicularis vix aliam expetere videtur curationem, quam sordes capitis detergere crebra pectinatione, & frequenti vestium mutatione; verum quoniam pediculorum generationi favent halitus humidiores & sulphurei e corpore emanantes, idcirco diæta instituatur cum cibis boni succi & facilis coctionis; præterea utile erit puerum identidem purgare, ut serositates per anum excernantur, & cruditates, quæ chilosi nocere possunt, evacuentur: purgabitur modo sequenti puer, quinque vel sex annos natus.

℞. *Senn. mundat. dr. i. Rhabarb. contus. scrup. i. Sal. absinth. gr. vi. Semin. contr. p. i. coq. in aq. fontan. s. q. in colatur, & express. unc. iii. dissolv. mann. calabr. & syrup. flor. persicor. ana unc. i. fiat potio.*

Po-

Poſtea parabuntur juſcula ſequenti modo.

℞. *Cancr. fluviat. num. ij. coq. per hor. in juſcul. pull. junior. ſub fin. coction. add. ſol. boragin. m. ſem. cærefol. p. 1. poſt levem coction. col. & exprim. fiat juſculum.*

Uſus horum juſculorum per aliquot dies continuabitur, tum topica parti adhibere oportet; in adultis & juvenibus hydrargirum eſt remedium præſtantiſſimum; hoc a pediculis monachi immunes ſe præſtant; verum in pueris adhibendum non eſt abſque cautione, minima tamen doſi inungi poterunt veſtes, modo diu capiti aut aliis partibus non applicentur; aliter hydrargirum penetraret, & nimis humores moveret; quapropter ſtaphyſagria uti Auctores ſuadent, cujus ſemine pulverato caput inſpergatur, vel prius lotio capitis fiat cum decocto ſequenti.

℞. *Radic. helen. & brion. ana unc. i. coq. in aq. fontan. ſ. q. per horam unam; ſub finem coction. add. ſol. rut. abſinth. & ſcord. ana m. ſem. fiat decoctum ad uſum ſupra notatum.*

Vel unguentum ſequens capiti illinire oportet.

℞. *Pulver. ſtaphyſagr. dr. iij. farin. lupin. fell. taur. ana unc. ſem. ſulphur. viv. & aloes ſuccotrin. pulverat. ana dr. ij. ol. laur. & rut. ana part. æqual. f. unguent. quod capiti illiniatur.*

Dum hæc exterius applicantur, puer ſumet alternis diebus mercurii dulcis grana ſex, quæ doſis continuata per viginti dies pedicularem morbum ſæpe ſanat.

CAPUT VI.

De Hydrocephalo.

HYdrocephalus, ſen apoſtema capitis aquoſum, vel hydrops capitis, eſt collectio ſeroſi humoris in capite. Is externus eſt, dum ſerum extra cranium colligitur, & intra tegumenta, & pericranium, vel intra pericranium & cranium. Internus dicitur, dum humor ſeroſus inter duram, piamque meningem colligitur; colligi vero abſolute poſſet intra cranium, & duram matrem; verum ibi difficillime fiet ſeri collectio, quia dura mater non tantum ſuturis, ſed & toti cranio firmiter adhæret, ut ex apertura cadaverum conſtat.

Rurſus Hydrocephalus tam externus, quam internus univerſalis aut particularis eſt, quia ſerum modo in toto, modo in aliqua tantum capitis parte colligitur, ut dum ventriculi cerebri anteriores præſertim ſero collecto replentur. Quoniam vero diverſa obſervantur ſymptomata in hydrocephalo univerſali & particulari, de primo nunc agemus, particularis poſtea ætiologiam expoſituri.

In hydrocephalo univerſali interno, qui pueris ſtatim a partu accidit, vel quocum ipſi naſcuntur, tumet præter modum caput; figura ejus irregularis ad quadratam quadantenus accedit; oſſa illius molliora, & ſuturæ membranaceæ, ut in cranio pueri, hydrocephalo defuncti, quod domi habeo, videre eſt; hinc caput facile comprimitur, tunc-que ſopor cum motibus convulſivis puerum corripit, qui ceſſante compreſſione evaneſcunt, ut in eodem puero adhuc vivente ſæpius expertus ſum, æger ad ſomnum propenſus, cum facie ſubtumida, pallidaque, & quadam ſenſuum hebetudine; reſpi-

ra

ratio ut in ſtatu naturali; pulſus paulo debilior, & mollis cum extremitatum refrigeratione; hinc mulieres hos pueros pluſquam alios veſtibus cooperiunt, ut naturalem calorem extremitates conſervent.

Quandoquidem in pueris recens natis hydrocephalo laborantibus ſanguis aquoſior eſt, oſſa capitis vix aliquam obtinuere ſoliditatem, & futuræ membranaceæ adhuc ſunt, ex eo quoque ſatis patet, quomodo ſeroſus humor intra caput collectus tumorem tantæ molis producat; quoniam enim partes adeo molles facile cedere poſſunt, ideo vis, qua humores in cavitatem capitis traducuntur, quæ alia non eſt præter vim arteriarum in dura meninge & ſuperficie cerebri oſcillantium, oſſa extendit, ut ſic mole capitis ampliata majus ſit ad humores ſeroſos continendos ſpatium; verum admirabile prorſus eſt in hoc morbi genere tantam vim capitis oſſibus inferri ab humore ſeroſo intra caput collecto, cerebro intacto, & illibato; quod quoniam oſſibus & futuris multo mollius eſt, vi comprimenti reſiſtere minus capax videtur, unde apoplexia, epilepſia, vel quilibet alius ſoporoſus affectus hydrocephalo quaſi neceſſario acceſſurus videtur: cui difficultati, quæ maxima nobis videtur, ſatisfieri poſſe cenſemus, dicendi aquam, in capite effuſam nativa fluiditate ita diſponi, ut propter columnarum æquilibrium, nullam ipſi compreſſionem afferat, ut patet exemplo animalium, quæ in aquis immerſa pondere aquarum incumbentium, tametſi immenſo nullatenus comprimuntur, quia æqualis ubique adeſt compreſſio; verum ſi una tumentis capitis pars digito comprimatur, quoniam tunc compreſſio inæqualis eſt, pars cerebri ſubjacens ob mollitiem oſſium compreſſa vi majori in vicinas fertur, quam ab ipſis repelli poſſit; tum cerebro inæqualiter compreſſo, ſopor, & motus convulſivi fiunt, propter circuitum ſanguinis per

cerebrum perturbatum, & inæqualem liquidi cerebrosi ad partes influxum, quæ, compressione cessante, & restituto æquali humorum motu, evanescunt.

Præterea tota cerebri moles, dum arteriæ micant, tumet; ergo vis illa major est serosi laticis pondere, ac per consequens sero collecto nulla futura compressio; demum aquæ in hydrope capitis interno inter duram & piam meningem colliguntur, ut ex apertura cadaverum didici; pondus ergo sustinendum ab omnibus fibrarum funiculis, qui e dura matre oriundi in pia terminantur. His igitur viribus fit, ut aquæ effusæ, non in cerebrum, sed in ossa capitis agant, quæ mollia in futuris præsertim, vi aquarum cedunt, extenduntur, totumque caput majorem molem adipiscitur; tumque capiti accidit idem quod in abdomine in ascite, cujus parietes musculosi ab aquis effusis dilatantur, & impense tument, dum canalis intestinorum cavus, membranaceus, compressibilis in aquis immersus omnis compressionis immunis est.

Quoniam vero nec serosus humor in capite effundi, nec ossa ipsius & futuræ adeo mollescere possunt, nisi sanguis aquosior & humidior sit, ex eo igitur fit facies pallida & subtumida. Rursus quoniam liquidum nervosum parcius a sanguine, a quo suppeditari oportet, separabitur, erit quoque laxitas nervorum, cum difficili musculorum motu: hinc sensuum hebetudo & propensio ad somnum nascentur, puerque hydrocephalo laborans minus alacer & agilis est; ex eadem causa pulsus debilitas & extremitatum frigus sunt deducenda. Verum quoniam humor serosus in capite extravasatus diu continetur, sensim & sine sensu cerebri substantiam penetrabit, idque relaxabit, ac motum humorum in eo pervertet, unde apoplexia vel epilepsia hydrocephalo tandem succedet. Quandoquidem observationibus clarissimorum constat plu-

res

res ductus lymphaticos a sinu longitudinali oriundos inter duram & piam meningem excurrere, horum quoque ruptioni debetur aquarum in capite collectio: verum quoniam humorum stagnatio ruptionem vasorum semper præcedit, aquas ergo in capite colligunt quæcumque motum humorum in ipso retardant. Retardatur autem humorum motus in capite, quia vasa capitis flaccidiora sanguinem difficile premunt & expellunt, vel quia obstructa vel compressa ipsum in circuitu sistunt, utroque enim modo humores in capite congeri posse manifestum est: congestis semel humoribus, vasa præter modum dilatata serum e cavitatibus suis effluere sinent; aut, quod verosimilius est, disruptis aut apertis vasis lymphaticis, lymphaticus latex per rimas vasorum exibit; quoniam vero qualibet cordis contractione ad cerebrum appellit sanguis, arteriæ ipsius dilatabuntur, quæ dein proprio elatere constrictæ, humores ad rimas vasorum trudent, per quas in capitis cavitate effundentur: verum quoniam arteriæ continuo oscillant, est quoque fere continua vis, qua humores effusi in ossa capitis feruntur.

Vasa autem capitis obstruunt humores crassi & viscidi, relaxant aquosi & humidi; sic lac quo infans alitur crassius & aquosius hydrocephali causa est: hunc remotius parit victus humidus nutricis aut prægnantis, vel ejusdem temperamentum pituitosum, vel morbus a fero redundante productus, ut anasarca aut leucophlegmatia. Demum hydrocephalus in utero gigni poterit, si caput fetus ab ipso nimis comprimatur; idem a partu difficili fiet, si caput fetus in uteri orificio aliquandiu commorans valide prematur, vel durius confricetur. Quoniam superius dictum est humores extra vasa non effundi, nisi motus humorum prius retardetur, ex eo etiam patet hydrocephalum ca-

pitis partes internas, vel externas afficere, prout motus humorum in iſtis, aut in illis retardabitur.

DIAGNOSIS.

Hydrocephalus tumore capitis majore, irregulari, compreſſionis capaci, & reliquis ſupra recenſitis in puero recens nato dignoſcitur, cum pus aut ſanguis tanta copia in parte colligi minime poſſit, ægro ſuperſtite; an externus vel internus ſit, his ſignis noſcetur: ſi tegumenta mollia & œdematoſa, luceque ab adverſa parte poſita caput diaphanum ſit, futuris laxis & oſſibus capitis ab invicem non dimotis, hydrocephalum externum ſcies; ſecus vero internum, quia in externo ſerum inter tegumenta & pericranium, aut pericranium inter & cranium colligitur: hoc quoque ſigno noſces ſerum collectum fuiſſe intra cranium & pericranium, ſi dolor acutus hydrocephalum præceſſerit, quia pericranium a cranio ſeparari non poteſt, niſi fibræ per quas huic annectitur rumpantur vel vehementer diſtrahantur. An aquæ hydrocephalum efficientes internum, inter cranium & duram matrem, vel inter utramque meningem colligantur, cognitu impoſſibile eſt, niſi poſt mortem; raro enim vel nunquam inter cranium, & duram matrem, ſæpius & fere ſemper inter utramque meningem, quia plures ductus lymphatici ibi excurrunt.

Signa cauſarum petuntur ex temperamento, victu, aut morborum cognitione, quibus prægnans fuit affecta, tum ex partu laborioſo, necnon præſertim ex iis, quæ per graviditatem accidere; tandem ex explorato nutricis lacte, vel ſi proles recens nata lapſu, ictu, aut quavis alia cauſa contuſionem, aut gravem capitis compreſſionem paſſa fuit; demum ſi caput infantis denudatum aeri fri-

frigidiori diu fuerit expositum, aut si frigida aut humida lintea ipsi fuerint applicata.

PROGNOSIS.

Hydrocephalus externus minus periculosus, & curatu facilior interno, cum sero exterius effuso via pateat vel saltem dari possit ad effluxum promovendum; minime vero interius collecto. Rursus in hydrocephalo interno serum ambiens cerebrum paulatim ipsum emollit & penetrat, hinc gravissimi affectus, mors ipsa; quapropter hydrocephalus internus semper lethalis est; id in tribus pueris hydrocephalo correptis observavi, qui, victis omnibus remediis, obiere; & in uno eorum, quem secui, cerebrum molle ad instar pultis, & minori quam par est mole donatum observavi, quod a vitio sanguinis nimis aquosi, ad partes alendas minus apti, ita factum judicavi. Hydrocephalus est morbus chronicus, quidam enim cum eo ultra annum vivunt.

CURATIO.

Antequam auxilia ex pharmacia vel chirurgia deprompta ægro administrentur, prius lac, quo infans nutritur, explorare oportet, ne aquosius aut viscidius sit, utroque enim modo peccans morbum foveret & insanabilem efficeret, idcirco mutandum, si vitiis jam recensitis insigniatur. Deinde observare oportet, an hydrocephalus sit internus, vel externus; in externo, quoniam serosus humor extra cranium colligitur, externa quoque remedia utiliora sunt, sive scarificationes fiunt in parte capitis inferiore pone aures, e quibus serum extravasatum exstillat; similiter setaceum, aut vesicatoria occipiti admota humores salsos evacuant; his

his adduntur volatilia, & ſpirituoſa, quæ vaſa capitis firmare ſerumque reſtagnans diſcutere valeant; quapropter utile erit caput continuo fovere linteis calidis vel ſequentem pulverem ipſi imponere.

℞. *Flor. Anthos, majoran. & chamæmel. ana m. ſem. flor. benjoin. caryophill. & nuc. moſcat. pulverat. ana ſcrup. ij. caphor. ſcrup. i. fiat pulvis & conficiatur ſ. a. capitium.*

Vel ſequenti decocto caput foveatur & poſtea capitium calidum imponatur.

℞. *Fol. betonic. ſalv. & laur. ana m. i. bull. in partib. æqualib. aq. fontan. & vin. Auſter. ſub fin. coction. add. ſtœcad. Arabic. ſchænant. & flor. melilot. ad m. ſem. colet. & exprimat. ſ. decoctum ad uſum.*

Quidam cataplaſma ſuadent; ſequens parari poterit.

℞. *Cucumer. ſilveſtr. radic. brion. ireos florent. ana lib. ſem. coq. in aq. font. ſ. q. uſque ad putrilagin. deinde piſtentur & per ſetaceum trajiciatur pulpa.*

℞. *Hujus pulpæ lib. j. theriac. veter. dr. ij. adip. viperin. unc. ſem. ol. lacert. unc. i. & ſem. ol. aniſ. & cinnam. ana gut. aliquot; f. cataplaſma capiti imponendum.*

Verum quoniam cataplaſmata poros capitis replendo, ſeri exhalationi nocent, ab iis ſatius eſt ſe abſtinere, & uti pulvere præſcripto, cum decocto, & præſertim ſetaceis, ſcarificationibus, fontanellis: Veſicatoria in hac ætate admodum tenera merito ſuſpecta habenda ſunt, quia cantharides fa-

facile corpus pueri penetrant, & graviter afficiunt.

Interna remedia pharmacia ſuppeditat, & eadem ſunt ac ea quæ in hydrocephalo interno præſcribuntur. Quoniam vero hydrocephali curatio non eſt expectanda niſi ſeroſus humor in capite collectus per alvum aut renes extrudatur, idcirco purgantibus & hydragogis inſiſtere oportet; paretur ſequens potio purgans pro puero unius anni aut circiter.

℞. *Fol. oriental. dr. ſem. rhabarb. contuſ. gr. xx. ſal. tamariſc. gr. x. coq. in decoct. radic. aperient. unc. iij. in colatur. & expreſſ. diſſolv. ſyrup. roſar. pallidar. unc. i. jalap. gr. iij. f. potio.*

Si puer eſſet ætatis paulo provectioris ut trium, vel quatuor annorum, ſequens ipſi exhibendus eſt bolus ante purgationem.

℞. *Aquil. alb. gr. v. jalap. gr. vj. cum ſ. q. ſyrup. de roſ. ſicc. ſolutiv. f. pilulæ duæ vel tres mane devorandæ, & potionem ſuperbibendo ut ſupra.*

Purgatus puer ſumet mane per plures dies potionem ſequentem.

℞. *Syrup. roſar. pallidar. unc. i. jalap. gr. v. diagred. gr. iij. miſc. capiat.*

Si aquæ poſt aliquot dies non ſufficienter moventur, ipſi addatur ſyrupus de ſpina cervina ad dr. iij. & aliquot diebus elapſis, ſi evacuatio nondum votis reſpondet, drachma ſemiſſis: hoc remedium aquas in pueris potenter movet, ut ſæpius ex-

expertus ſum dum curabam pueros anaſarca, & aſcite laborantes; hoc remedio per viginti aut triginta dies utebantur, facto identidem aliquo intervallo.

Si puer eſſet plurium annorum, aqua vitæ Germanica ad unciam ſemiſſem, ſyrupo roſarum pallidarum adderetur, lactentibus autem non convenit: utile etiam erit purgationem identidem iterare; nutrix autem diætam exſiccantem tenebit; his topica & externa remedia adjungere nonnulli ſuadent, verum inutilia ſunt.

Quæritur an hydrocephali interno trepanum conveniat?

Reſpondeo cum Munnicks, aliiſque viris de re chirurgica optime meritis: capitis apert ionem ægri mortem accelerare, quia una capitis parte ſubito depleta, cerebrum antea a compreſſione immune, tunc tantopere premitur, ſublato preſſionis æquilibrio, ut munia ſua explere minime poſſit, & ideo ſopore, ac motibus convulſivis, brevi poſt operationem correptus extinguitur æger. Hoc confirmavit experientia, ita referente Fabricio Hildano 17. *Obſervat. Chirurg. Cent.* 3. de juvene chirurgo; qui pueri hydrocephalo laborantis calvariam aperire auſus eſt, verum puer triginta ſex ab operatione horis obiit.

De Hydrocephalo particulari interno.

Hydrocephalus particularis internus audit, dum ſerum in ventriculis cerebri præſertim anterioribus colligitur; tunc viſio aboletur, oculi ſuffuſi & tumidi convelluntur, clauduntur quaſi in dormientibus, facies ſubtumida & pallida, extrema corporis frigent, pulſus parvus & debilis eſt, ſi febris deſit. Verum ſi cauſa quæ ſerum in ventriculis congerit, febrem afferat, rubet ſubtumida fa-

facies pulſus frequens & mollis, anxioſus æger; mox oculos aperit, & aſpicere videtur, licet non videat; mox claudit: pueros ut plurimum, raro adultos afficit.

Quandoquidem ſerum in ventriculis cerebri non poteſt colligi, niſi ſubſtantiam cerebri corticalem, & medullarem undequaque protrudat, ex eo ſat liquet motum humorum in cerebro perturbatum iri, nec poſſe liquidum nervoſum e cerebro ad partes ſufficienter amandari; hinc minor cordis & arteriarum pulſatio, minorque in humoribus motus, tum fermentationis, tum circulationis, ex quo pulſus parvus & debilis cum extremitatum refrigeratione naſcitur. Quoniam adhuc thalami nervorum opticorum a ventriculis cerebri anterioribus originem ducunt, a ſero ibi collecto premuntur; qua preſſione fit ut liquidum nervoſum per nervos opticos ad retinam fluxurum ſupprimatur, unde retinæ laxitas cum viſus abolitione erit; ſed & alii nervi, qui in oculis diſtribuuntur, tertia ſcilicet & quarta conjugatio, prope thalamos opticorum originem habent, comprimentur quoque. Hinc & oculi ſuffuſi & tumidi erunt. Rurſus, quoniam ſerum eſt quid mobile huc & illuc diffluens, magis quoque nervos memoratos comprimere poterit. Unde dabitur influxus liquidi nervoſi ad oculos irregularis & inæqualis, hinc identidem oculi convelluntur. Demum, quoniam tanta ſeri in ventriculis cerebri collectio concipi non poteſt abſque intercepta in illis humorum circulatione, ex eo quoque fiet ut ſanguis in capite remoretur, & ſubtumida & pallida videatur facies, ſi febris deſit, ob ſanguinis conſtitutionem aquoſam & humidam: verum ſi cauſa hydrocephalum ventriculorum producens motum febrilem afferat quoniam major eſt inteſtinus ſanguinis motus, magis quoque cor & arterias ad contractionem ſtimu-

mulabit, unde fortior atque frequentior erit pulſus cum facie ſubtumida & rubra: demum anxioſus puer erit, quia ſanguis ob vaſorum laxitatem difficile per partes provolutus, vaſorum tunicas commovet & vibrat, eadem de cauſa anhelatio fit, quæ gravior eſt, febre exacerbante, ob motum ſanguinis in pulmonibus celeriorem.

Si hic hydrocephalus adulto aut puero aliquot annos nato accidat, quia firmior eſt atque ſolidior oſſium calvariam conſtituentium textura & unio, moles capitis non creſcit; ſed ſerum ventriculos cerebri adeo dilatat, ut totum viſcus veluti marſupium videatur, ſi in lactente aut puero recens nato fiat, oſſibus adhuc mollibus, & ſuturis laxis caput intumeſcet, & ad majorem molem perducetur, ut ex obſervationibus Auctorum colligitur. Quoniam abſque retardato humorum motu ſerum effundi non poſſe certiſſimum eſt; idcirco nec humor ſeroſus in ventriculis cerebri colligitur, niſi ſanguinis motus præpediatur, vel in plexu choroideo, vel in lateribus ventriculorum ſeu ſubſtantia cerebri medullari. Cauſa igitur conjuncta hujus hydrocephali erit retardatus humorum motus in plexu choroideo, vel in parietibus ventriculorum; quoniam enim ob præpeditum humorum motum vaſa turgeſcere & nimis repleri oportet, liquidis a retro ſequentibus liber aditus denegabitur, qui in qua conantur intrudi, vaſa repleta ulterius dilatabunt & aperient, factaque vaſorum rima, ſerum effundetur magna quantitate. Retardatur humorum motus in memoratis partibus, ſi ſanguis aquoſior, craſſiorque, vel inæqualiter inſpiſſatus a cruditatibus primarum viarum, concurrente laxiore cerebri ſtructura, vel glandulis aut tumoribus skirroſis in vicinia adnatis; ſic hydrocephalum remotius pariunt victus humidior, intempeſtiva frigidorum capiti applicatio, denudati capitis aeri fri-

frigido expositio, soluta sanguinis compages, seu nimia seri in sanguine extricatio, sive a coagulantibus, sive a dissolventibus, quo fit ut aliquando cum febre maligna aut putrida complicetur. Oritur adhuc a tinea frequenter subito suppressa facto regressu humoris viscidi & salsuginosi a partibus capitis externis ad internas; hujus generationi concurrit glandula pituitaria obstructa & indurata, aut infundibulum obstructum, aut compressum, quia ab his seri in ventriculis collecti derivatio præpeditur; cum unanimi Auctorum consensu constet, glandulam pituitariam ad hoc fuisse destinatam, ut humiditates ventriculorum cerebri per infundibulum accipiat, & ad sinus Lowerianos transmittat.

DIAGNOSIS.

Hydrops ventriculorum cerebri noscitur ex visus abolitione, oculis suffusis & humidis identidem convulsis, modo clausis, modo apertis, cum facie pallida & subtumida: perseverante morbo reliquæ partes convellentur, quia quo major fit seri collectio, eo major ventriculorum dilatatio, partiumque vicinarum compressio; quapropter origines nervorum inæqualiter compressæ, liquidum nervosum inæqualiter quoque accipiunt, & ad partes traducunt; hinc brachiorum, crurum, aliarumque partium spasmi sequuntur, Hunc hydropem anteeunt dolor capitis diuturnus & pertinax, morositas, torpor mentis, appetitus prostratio; quæ hydropem imminentem, præcipue in junioribus pueris, significant, ut in duobus nuperrime observavi, qui hac specie hydropis obiere. Is vero adultos raro, pueros sæpius ob molliorem cerebri texturam, & constitutionem sanguinis serosam, aggreditur, & eos pueros

ros præcipue quorum capitis nimis tumidi moles naturalem multum ſuperat.

PROGNOSIS.

Hæc hydrocephali ſpecies graviſſima & lethalis eſt pronuntianda, ita teſtante experientia, nullumque vidi qui ab ea evaſerit; licet via aquis effluendis per glandulam pituitariam patere videatur; verum propter compreſſionem meditullio cerebri ab aquis collectis illatam diu nequit perſeverare in ipſo circularis humorum motus. Hinc citius ægri jugulantur ab aquis ventriculorum cavitates replentibus; verum periculum majus, ſi febris cum hydrocephalo complicetur, quoniam accelerato humorum motu, ſanguis uberius ad cerebrum fertur, majorque aquarum collectio fit. In hydrocephalo particulari pedes, brachia, caput convelli malum, quia ſpaſmus tot partium omnes ventriculos cerebri aquis repleri, vel ſerum in baſi cranii effuſum ſignificat, ut obſervavi in binis pueris hydrocephalo laborantibus, qui motus convulſivos in capite, brachiis & pedibus aliquot diebus ante obitum, paſſi ſunt; aperta calvaria, aquas pauca quantitate in ventriculis, majori in baſi cerebri collectas inveni.

CURATIO.

Quandoquidem hydropem ventriculorum nunquam ſanari ſuperius dictum ſit; idcirco remedia præſcribere inutile videtur; attamen ſi quædam adhibere neceſſum ſit, eadem adhibere oportet, quæ ſupra pro hydrocephalo univerſali interno fuere propoſita; cum eo diſcrimine, quod ſi febris adſit, ſanguinem mittere oportet e brachio, poſtea e pede, & dein potio cathartico-emetica præſcriben-

benda, ut cruditates febrem & hydrocephalum producentes, aut foventes expellantur. Parabitur ſic potio pro puero duorum aut trium annorum.

℞. *Senn. mundat. dr. i. rhabarb. contuſ. dr. ſem. ſal. tamariſc. ſcrup. j. coq. in decoct. radic. aperient. unc. iij. in colatur. & expreſſ. diſſolv. mann. calabrin. unc. j. adde tartar. ſtibiat. ſolub. gr. ij. capiat.*

Si puer ætatis ſit majoris, augebitur doſis purgantium, & emetici.

Celebrata purgatione, hydragoga ſupra propoſita convenient, aut purgantibus inſiſtere oportet, ſi hydrocephalus immineat, aut incipiens ſit abſque febre, incidere, attenuare ſanguinem, & ſerum expellere oportet; quapropter, diæta exſiccante, & incidente præſcripta, nec non ſanguine miſſo a pede, & purgatione celebrata etiam cum emetico, ſequens parabitur pulvis per dies aliquot ſumendus pro puero ſex aut ſeptem annos nato.

℞. *Croc. mart. aperient. majal. ror. præparat. gr. vj. rhabarb. pulverat. gr. x. pulver. milleped. & ſal. tamariſc. ana gr. v. jalap. & diagred. ana gr. iv. f. pulvis, quem capiet mane ſuperbibendo juſculum ſequens.*

℞. *Radic. bruſc. aſparag. & petroſel. ana unc. ſem. coq. in juſcul. pulli per horam unam; ſub fin. coction. adde folior. capill. vener. polythric. & ſcolopendr. ex omnibus m. j. fol. betonic. iv. aut v. coletur & exprimatur.*

Verum quoniam puer pulverem non facile ſumet, idcirco juſculum radicibus alteratum capiet: ſi id accipere nolit, paretur abſque radicibus. Uti-

le erit purgationem celebrare quarta qualibet die, & assumpto decies aut duodecies pulvere aperienti cum jusculis, exhibebitur aqua vitæ germanica, donec restitutis cerebri muniis, puer e periculo hydrocephali immunis credatur. Optimum erit etiam cauteria nuchæ admovere, & vesicatoria scapulis, ut omni ex parte fiat seri dissipatio; quo remedio absque aliorum pharmacorum auxilio hydrocephalus præcaveri potest.

CAPUT VII.

De Epilepsia, & motibus convulsivis.

PUeros & lactantes præsertim epilepsiam & motus convulsivos adeo frequenter corripere experientia demonstravit, ut puerilis morbus epilepsia fuerit appellata; ideoque inquiramus cur pueri & lactentes præsertim tam facile in hos affectus incidant.

Quandoquidem epilepsia est privatio aut imminutio maxima sensuum, tum externorum tum internorum, cum nonnullarum partium aut totius corporis concussione, quæ ex infarctu cerebri, & inæquali nervorum ex eo procedentium compressione oritur, ex eo etiam facile colligitur pueros, & præsertim lactentes præ adultis huic obnoxios esse.

1. Quoniam molle & tenerum est ipsorum, hac quoque de causa facile in eo humores hærere possunt, & infarctum cum inæquali eorum compressione inducere. Etenim nec ita molle cerebrum esse potest, quin vasa exilissima quibus constat mollia quoque sint, & minima vi elastica fruantur; quapropter si humores cum æstu, & nimia quantitate, vel cum

cum aliqua viſciditate ad id trudantur, difficile per ejus ſubſtantiam circuitum abſolvere poterunt. Humores igitur craſſi & viſcidi in vaſa exiliſſima irruent; per quæ ratione molis adeo lente provolventur, ut tumores pariant, & liquida quæ a retro ſequentur, ſiſtere valeant: hac adhuc facilius fient, ſi cerebrum, præter mollitiem huic ætati naturalem, humiditatibus in ſanguine redundantibus ulterius fuerit laxum; ſic pueri quorum caput craſſius & humidius eſt, ſæpe epilepſia & motibus convulſivis corripiuntur, cum cerebrum in capite craſſo neceſſario mollius contineatur, quod etiam accidet ab irregulari ejuſdem cerebri incremento; etenim cum in lactentibus non detur illa cerebri accretio, quam intra plures annos acquiſiturum eſt, quam plurimis de cauſis accidere poteſt, ut cunctæ cerebri partes æqualiter & juxta debitas leges non creſcant. Sanguis igitur in parte ſufficienter non nutrita & evoluta difficilius movebitur, minimaque de cauſa hærebit.

2. Quoniam nervi & dura mater lactentium vaſis exiliſſimis conſtant, ſeu organis elaſticis, quæ facile motum ſuſcipiunt ob exilitatem, & vibrationes incredibili celeritate edunt; ex eo etiam fit, ut minima de cauſa ad vibrationes celerrimas edendas impelli poſſint. Verum nec adeo celerrimæ vibrationes in nervis & dura matre fieri poſſunt, niſi liquidum nervoſum e capite ad partes trudatur, motuſque ſanguinis per cerebrum turbetur, cum mater illa membrana motu ſuo ſyſtaltico ſanguinis motum in cerebro ſubjacente promoveat. Ergo hac quoque de cauſa pueri & lactentes præſertim præ adultis epilepſia afficiuntur cum ſolida & liquida in adultis mole majori donata ad motus adeo celeres minus ſint idonea. Quapropter epilepſia puerorum a duplici cauſa repeti poteſt; 1. ex iis quæ cerebri mollioris vaſa

infarcire poſſunt. 2. Ex illis quæ nervos irritare & ſuccutere poſſunt.

Vaſa cerebri infarciunt humores tenaces & viſcidi, cum moles ipſorum exiliſſimis vaſorum inſenſibilium cavitatibus minime conveniat, hinc vaſorum obſtructio, varii in cerebro tumores naſcuntur, a quibus humorum motus retardatur, & infarctus producitur. Humores tenaces & viſcidos afficiunt lac viſcidius, quo lactens alitur, mala ejus in ſtomacho præparatio, vel cruditates a primis viis ſuppeditatæ, quæ ſanguinem inſpiſſant, & veluti coagulant: inſpiſſatur adhuc ſanguis a frigore externo, ut ſi infans aeri frigido aut vento diu exponatur, cum imminuto hac de cauſa ſanguinis motu partes ejus integrantes ſimul coire oportet, ex qua cohæſione ſequitur humorum viſciditas; infarciunt adhuc cerebrum humores viſcidi a partibus ad ipſum devecti; ſic a ſuppreſſa cruſta lactea a cauſa externa, ut aere frigido, vel intempeſtiva remediorum applicatione, epilepſia gravis recurrit, quia humor viſcidus & tenax cruſtam lacteam pariens intus repulſus vaſa cerebri obſtruere & replere valet: motus epilepticos quoque parit concuſſio capitis, ob nimiam vaſorum mollitiem, & nondum ſufficienter factam oſſium cranii ſoliditatem. Nervos irritando, epilepſiam producunt dentes difficile erumpentes, & dure nimis gingivas lacerantes, ſanguis in tumore phlegmodeo putreſcens, & nervos in hac parte vehementer ſuccutiens. Epilepſiam ab hac cauſa productam obſervavi in puero quatuor annos nato, qui phlegmone ſuppurato in parte media, & ſuperiore oſſis coronalis laborabat, quem ab iterata hujus partis contuſione ſæpe cadendo contraxerat; aperto tumore exiit pus, & puer ſopore & motibus convulſivis non fuit ultra correptus.

Epilepſiam puerorum vermibus inteſtina pungen-

gentibus Auctores tribuunt. Tametsi vermes pungere & lacessere non negemus, veritati tamen sat consonum videtur epilepsiam tunc tribui debere materiæ intestinis putrescenti, a qua vermes nascuntur, cujus portio ad sanguinem delata motum humorum in cerebro perturbare idonea est; posse tamen nervorum morsus epilepsiam producere sequens observatio probat.

Duobus ab hinc annis ad puerum quatuor annos natum, vocatus sum, qui pridie denarium deglutierat, motibus convulsivis spasmo cum facie pallida & sopore detinebatur; cognita ab ancilla illi famulante morbi causa, clysterem purgantem & potionem contra vermes, aliquot diagredii granis additis præscripsi, quibus alvum deponendo, denarium excrevit, & symptomata memorata illico evanuere. Pueris vero octo, vel ultra annos natis epilepsia accidit ab iisdem causis quæ eam in adultis pariunt.

DIAGNOSIS.

Ex sopore & motibus convulsivis epilepsia puerorum noscitur. An ab irritatione vel humoribus viscidis cerebri infarctum producentibus fiat, facile assequi possumus a nutrice vel puero famulantibus, sciscitando ea quæ præcessere. Abdomen reliquasque corporis partes explorando Medicus videbit an causa in his resideat.

PROGNOSIS.

Sicuti pueri ceteris facilius epilepsia corripiuntur, ita & facilius sanantur. Mutata humorum constitutione, firmato partium solidarum cerebri præsertim & nervorum tono, sic docet *Hyppocrates* pueros ab epilepsia liberari victus ratione, muta-

tione cœli & præſertim ætatis; verum aliquando in pueris epilepſia adeo graviter recurrit, ut eos jugulet; quapropter non immunis periculi cenſenda, dum ſæpius redit, & ſopor inter reditus maximus eſt, & ferme totum convellitur corpus. Rurſus, quæ a materiis viſcidis cerebrum infarcientibus fit, gravior eſt ea, quæ nervorum ſuccuſſionem ſequitur. Sic lethalis creditur epilepſia, quæ cruſtæ lacteæ ſuppreſſæ, aut tumori in capite enato accidit; minus gravis judicatur, quam dolor colicus inteſtinorum parit: pueros in vigore acuti morbi convelli malum, quia cauſa morbifica altius cerebri ſubſtantiam penetrat, & humorum motum in eo perturbat; pejor adhuc quo febris acutior eſt, quia accelerato ſanguinis motu in cerebrum uberius ruit, & totalem ipſius infarctum parit.

C U R A T I O.

Quandoquidem hic de epilepſia lactentium curanda præcipue agitur, idcirco ſtatim lac, quo alitur æger, explorare oportet, an viſcidum, ſalſum, ſeu calidum ſit; ſi lac optimum puer ſugat, tunc huc dirigenda curatio ut cauſa remota tollatur, quæ cum varia eſſe poſſit, diverſa etiam methodus curandi adhibetur. Verum quoniam frequenter fit a cruſta lactea ſubito intus repulſa, vel a cruditatibus acidis in ſtomacho a lacte relictis, quæ alimentum lactentis inquinantes, febrem, ſoporem, cum motibus convulſivis pariunt; epilepſia ab his oriundæ curationem ibi proponemus; cum eodem modo curanda ſit a quacumque ex his cauſis procedat. Quoniam igitur infarctus cerebri ſit cum motu febrili, idcirco ſanguinem illico mittere oportet ad unc. iv. juxta ætatem & vires ægrotantis; elapſis aliquot horis, ſequens injicietur enema.

℞. *De-*

℞. *Decoct. comm. clyſter. refriger. & laxant. unc. vj. diſſolv. cathol. dr. vj. vin. emet. turbid. unc. ſem. f. clyſter.*

Si a clyſtere morbus non remittatur, ſequens potio purgans præſcribitur ſtatim a clyſtere rejecto.

℞. *Senn. mundat. dr. j. rhabarb. contuſ. ſemin. contr. & tartar. ſolubil. ana ſcrup. i. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. & expreſſion. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. vin. emet. dr. vj. vel tartar. ſtibiat. gr. iij. f. pot.*

Altera die a purgatione, clyſter ut ſupra injiciatur, abſque vino emetico, & bis in die exhibebitur pulvis de gutteta ad gr. xij. Die ſequenti purgatio iterabitur.

℞. *Pulver. de guttet. gr. xij. cap. cum lact. cochlear. ſuperbibend. potion. ut ſupra.*

Altera die ad ſtomachum corroborandum, parabitur ſequens infuſio, qua bis in die utatur.

℞. *Kinkin. in alkool redact. dr. ij. rhabarb. pulverat. dr. j. ſummitat. abſynth. minor. p. i. coq. leviter in aq. fontan. lib. ſem. & dein per horam calide infundantur.*
℞. *illius infuſionis unc. ij. capiat.*

Ante infuſionis hauſtum, exhibebitur pulveris de gutteta ſcrupulus ſemiſſis. His curata epilepſia, ne iterum redeat, cavendum; idcirco puer ſemel in menſe aut ſæpius purgabitur, & qualibet hebdomada bis ſumet pulveris de gutteta grana duodecim. Imo ſi caput lactentis craſſius & humidius

eſſet, fontanella occipiti admoveretur, & nutrix a cibis crudis, acidis & humidis ſe abſtineret. Interim, ſi irritis remediis epilepſia perſeveret, his ulterius inſiſtere non debet Medicus, ſed diæta convenienti præſcripta expectandum ut æger ad ætatem pubertatis perveniat, in qua mutationes fiunt, quæ epilepſiam quandoque radicitus tollunt.

CAPUT VIII.

De Vigiliis.

PUeri ſomniculoſi ſunt, ipſiſque utilis videtur dormiendi neceſſitas, quam conſtitutio ſanguinis humida, cerebrique mollities parit; cum in ſomno corpus mirum in modum nutriatur & creſcat. Hinc vere ægrotare lactentes cenſendi ſunt, cum diu vigilant, ita ut nec pannorum mutatione, neque cunarum motu, nec cantu, nec mamma exhibita, aut alio quovis modo ſomnum capeſſere poſſint; tunc ejulant, flent anxioſi, & mille modis corpus torquent & agitant; his perſeverantibus accedit corporis emaciatio cum motu febrili.

Quandoquidem vigilia in continua tenſione, & motu corporis atque nervorum ſenſibus externis proſpicientium conſiſtit, patet eam fieri poſſe, quia liquidum emporium & nervos replens continuo commovetur, quia vel ipſi nervi in partibus ſuccuſſi præter modum emporium ſuccutiunt, reliquumque ſyſtema commovent, dum liquidum nerveum cavitatem replens, continuo commovetur; fluit quoque continuo a cerebro ad partes ſubjectas, & continua adeſt nervorum tenſio, unde vigilia; liquidum autem nervoſum commovet au-

auctus inteſtinus ſanguinis motus, quo celeriter ad cerebrum fluit, celeres & frequentes arteriarum oſcillationes efficiens; quoniam autem arteriarum cerebri, & duræ meningis oſcillationes a ſanguine appellente fiunt, quo citius, celeriuſque ſanguis ad caput trudetur, eo celeriores & frequentiores duræ matris, & arteriarum cerebri oſcillationes naſci oportet, quibus liquidum nervoſum prompte a ſanguine derivatur & e cerebro celeriter exprimitur. Inteſtinum autem ſanguinis motum intendit lac a nutrice calidum & ſalſum exhibitum, vel in ſtomacho infantis male præparatum & aceſcens, ſicque heterogeneum quodam modo ſanguini factum; nervos ſuccutiunt excoriationes in habitu corporis factæ; ut in cruribus & natibus ab urina, aut alvinis fecibus acrioribus, aut non deterſis, & ſordes ibidem relinquentibus; vigilias quoque pariunt tormina, colici dolores inteſtinorum, vel rheumatici aliarum partium, ulcera, tumores phlegmonoſi aut eryſipelatoſi, quibus nervi præter modum ſuccuſſi emporium, & reliquarum partium nervos commovent, unde vigiliæ. Quia vero vigilia motus eſt continuus nervorum & liquidi eos replentis atque tendentis, idcirco neceſſe eſt, ut motus ſanguinis magis intendatur, quo febris excitabitur, nec non fiat maxima partium diſſipatio; hinc marcor totius corporis orietur, cum in ſomno præcipue infantes alantur, quia ſucci nutritii appoſitio partibus facilior eſt pacato, quam accelerato humorum motu. Demum quia cauſa vigiliarum dolorem ſæpe affert, ejulatus, fletus & variæ corporis agitationes eas ſequentur.

DIAGNOSIS.

Nullis ſignis vigiliæ immodicæ egent, quibus dignoſci poſſint, cum ſatis pateant; ſed ad hoc præ-

præſertim attendere oportet ut cauſa vigiliæ noſcatur, quapropter explorare oportet, an infans aliquid mali patiatur, ut difficilem dentitionem, tormina, dolores colicos, aut rheumaticos, quæ partes movendo cognitu ſatis faciles erunt, cum tangi aut moveri non poſſit pars dolens, quin infans in fletus & ejulatus erumpat: obſervandum præterea an tumorem inflammatorium ulcus vel aliquid ſimile in corpore gerat, a quibus dolor & vigiliæ naſcentur; ſi eorum nullum ſit, lac, quo infans nutritur, examinandum, & ſi in lacte nullum vitium reperiatur, cruditatum in primis viis latentium ſuſcipio non levis erit.

PROGNOSIS.

Vigiliarum diverſa ſit prognoſis ratione temporis & cauſæ vigiliæ; recentes minus habent periculi quam diuturnæ, quia diuturnis febris, emaciatio, virium proſtratio & alia graviſſima mala accidunt, ſecus recentes; vigiliæ quas lac calidum, leves dolores colici, excoriationes pariunt, minus graves ſunt illis, quæ ulcera, tumores phlegmonoſos, eryſipelatoſos, vel rheumaticos ſequuntur dolores. Vigiliæ diuturnæ præter mala quæ afferunt, cauſam validiorem & proſtigatu difficiliorem agnoſcunt, quam recentes, & in hoc etiam periculoſiores.

CURATIO.

Duo ſunt in vigiliis ſanandis efficienda: 1. Somnus quam cito fieri poterit conciliandus: 2. Cauſa vigiliarum proſtiganda. Primum narcoticis fiet, & ideo ſtatim ſyrupus papaveris albi præſcribendus; varia ſit ejus doſis pro varia infantis ætate: puero ſex menſes v. g. nato exhibebitur prima vi-

ce

ce ad dr. ſem. augebitur ſenſim, ad drachmas duas, & ſingulis diebus exhibendus eſt, donec vigilia remiſerit. Vidi puerum bimeſtrem cui drachmæ tres diebus ſingulis exhibebantur. Laudanum ut potentius narcoticum nunquam propinandum, ne ſopor lethalis procreetur; ſanguis etiam mutatur, ſi febris adſit, & ætas infantis ejus miſſionem permittat.

Verum quoniam narcotica diu ſomnum conciliare non poſſunt manente cauſa vigiliarum, nec ſomnus arte adeptus vires reficit, nec corpus alit ut naturalis; ideo curatio ad cauſam remotam præcipue eſt dirigenda; ſi ſordes excoriationem attulerint, panni mutentur, quoties urinam aut alvinas feces excernet; ſi tormina, dolores colici aut difficilis dentitio vigilias pariant, iis medebitur ut infra dicetur; ſi tumor, ulcera aut inflammatio cauſa ſint, remediis pariter convenientibus curanda; ſi lac calidum & ſalſum vigilias efficiat, tunc melius ſeligere neceſſum eſt; ſi dolores rheumatici aut ſucci ſalſuginoſi in utero a matre ad prolem traducti natales iis præbuerint, licet lac, quod infans ſugit, bonum & laudabile ſit, conveniet, ut humidius, dulciuſque evadat, nutricem temperare juſculis pullorum refrigerantibus, aut cremoribus oryzæ, aut hordei, illamque cibis ut humidis & pinguibus, ſeque abſtinere a crudis, ſalſis, exſiccantibus, piperatis, &c. tandem ſi ab acidis in ſtomacho nidulantibus, & lac corrumpentibus oriatur, purgabitur ſequenti modo.

℞. *Senn. mundat. dr. ſem. rh. contuſ. ſcrup. i. ſemin. contr. p. i. coq. leviter in aq. fontan. unc. ij. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. capiat.*

Altera die ſumat ſyrupi de cichoreo compoſit.

un

unciam unam cum Rhæi pulverati granis duodecim, & ſero ipſi cum lacte exhibebitur corallii rubri præparati ſcrupulus unus; per triduum his remediis utatur, exhibito qualibet nocte ſyrupo papaveris albi ad ſomnum conciliandum, quibus irritis, ſi halitus, quos per eos emittit, aciditatem referant, ſequens pulvis parabitur.

℞. *Corall. rubr. præpar. & rh. pulverat. ana gr. x. ſal. abſynth. gr. v. fiat pulvis pro una doſi, cum juſculi vel lactis cochleare exhibendus puero ſex menſes nato.*

Hic pulvis alternis diebus exhibebitur, ne puer præſcripto remediorum uſu fatigetur, eoque quinquies & ultra, ſi neceſſe ſit, utatur, cujus uſu finito præſcribatur purgatio, ut ſupra.

CAPUT IX.

De Pavore nocturno.

PAvore nocturno pueri corripi creduntur, dum a ſomno ſubito excutiuntur cum clamoribus & fletu, irregulari membrorum motione, oculis apertis perterriti fugere, & alio ſe conferre volentes, qui ſomnio terribili perciti parentum & famulantium verbis, nec blanditiis ſe colligunt; pavor nocturnus periodos habet longiores, vel breviores, tardius aut citius redeuntes, & niſi in ſomno non afficit.

Cum pavor nocturnus mere ſomnium ſit de re pavorem inducente, ſomnium vero error animæ judicantis & in cerebro operantis; igitur in pavore nocturno fibræ cerebri irregulariter ſuccutiun-

tiuntur, unde irregulares ideæ animæ offeruntur, quarum errorem dormiens, & ſenſibus non compos corrigere nequit, imo nec expergefactus ſtatim corriget, quia fibrarum emporii motus adhuc perſeverans ideas vividas animæ offert, quibus in errorem inducitur, donec motu fibrarum remiſſo, anima minus vivide affecta debite etiam judicet; ſed cum anima ab objecto repræſentato fortiter percellatur, hinc irregularis & perturbatus liquidi nervorum ad partes influxus, unde ejulatus, fletus irregularis, membrorum motio, ceteraque, quæ vehemens animi pathema demonſtrant.

Verum nec quidquam fibras emporii ſuccutere irregulariter poteſt præter humores qui in cerebro provolvuntur; ergo cauſa pavoris nocturni a perturbato humorum in cerebro motu producitur. Perturbabitur autem humorum motus in cerebro a ſuccis crudis a ſtomacho ad ſanguinem traductis, qui tempore ſomni abſque diviſione cum ſanguine provoluti ſubſtantiam cerebri tunc collapſam ſubeuntes ſanguinis motum in eo ſiſtent, unde validiores arteriarum oſcillationes, quibus fibræ emporii fortius ſuccutiuntur, earumque liquidum vehementer commovetur.

Verum arteriis cerebri validius oſcillantibus, liquidum nervorum magis quoque ex ipſo exprimetur: fluet ergo uberius ad nervos, eorumque tenſionem reſtituet, unde pueri expergefactio; ſed tantus humorum motus abſque violenta vaſorum commotione non fiet; ergo erit quoque anxioſus infans; hinc ejulatus & fletus cum partium commotione, quæ in infantibus nondum loquentibus & pavoris nequaquam capacibus mechanice fiunt.

DIAGNOSIS.

Satis ex allata definitione hic affectus noſcitur, præ-

præſertim ſi pueros annos quatuor aut quinque natos aggrediatur, cum ipſi objectum pavoris verbis exprimant. In lactentibus ejulatu, clamoribus fletu, membrorum commotione, tremore ſubito, & ſine cauſa manifeſta a ſomno excitatis ſatis patet.

PROGNOSIS.

Hic affectus levis eſt, & abſque periculo ut plurimum fit, cum cauſa, a qua producitur, facile tollatur, verum ſi ſæpe redeat, periculum eſt ne epilepſia ipſi ſuccedat, quia obſtructiones in cerebro ſupponit vel facit; ſi paroxyſmi longiores ſint & fortiſſimi, motibus convulſivis, palpitatione, motu febrili, & maximo angore ſtipati, nec ſomnus poſt paroxyſmum quietus & ſecurus ſit, ſed interruptus, gravis habendus eſt pavor nocturnus, quia magis cerebrum afficitur, & major eſt cruditatum copia, a quibus febres graviſſimæ oriri poſſunt.

CURATIO.

Cum pavor nocturnus a cruditatibus acidis ſanguinem inquinantibus oriatur; ideo totus curationis ſcopus in eo eſt, ut ſordes in ſtomacho nidulantes evacuentur, & digeſtio laudabilis fiat; ſi lactens æger ſit, lac, quo veſcitur explorare oportet; & ſi craſſius, aut ſalſum ſit, tenuius, dulciuſque ſeligatur; ſi puer aliquot annos natus ſit; modice cibetur, offis, panatellis, ovis ſorbilibus, & pane tantum utatur; dein purgatio celebretur ſic pro puero quinque annos nato.

℞. *Senn. mundat. dr. i. rh. contuſ. ſcrup. i. ſal. abſynth. ſcrup. ſem. coq. in aq. fontan. unc.*

iij. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. f. pot.

Altera die a purgatione ſumet infuſionis ſequentis uncias duas bis per triduum, aut ultra ſumendæ.

℞. *Kinkin. in alkool redact. dr. ij. rh. contuſ. ſcrup. ij. ſummitat. abſynth. minor. p. i. infund. per horam levi præmiſſa ebullition. in aq. fontan. lib. i. ſervetur ad uſum.*

Si nondum pavor nocturnus remiſerit, iterabitur purgatio ut ſupra, qua celebrata, ſumet puer novies, aut decies mane jejuno ſtomacho pulverem ſequentem.

℞. *Kinkin. & rh. pulverat. ana ſcrup. ſem. croc. mart. aperient. gr. viij. ſal. abſynth. & diagred. ana gr. iij. f. pulvis ad uſum.*

Hoc pulvere puerum pavore nocturno laborantem noviſſime ſanavi. Finito uſu pulveris repurgabitur, & neceſſe erit ut per aliquod tempus modice cibetur, & ab uſu carnium ſe abſtineat, quia caro facile in ſtomacho corrumpitur.

CAPUT X.

De Strabiſmo.

STrabiſmus eſt oculorum verſus canthum internum aut externum diſtorſio; unus tantum, ambo aliquando diſtorquentur oculi. Dividitur in congenitum & adventitium; congenitus is eſt, quocum na-

naſcitur infans: adventitium puero nato accidit, & duplex eſt, fugax & permanens; fugax ſæpe periodicus eſt.

Cauſa ſtrabiſmi eſt contractio fortior muſculi abductoris aut adductoris in utero factam ſupponit, ſi oculus verſus nares diſtorqueatur; vel defectum accretionis, quo fiet ut adductor antagoniſta carens oculum ad ſe trahat. Fugax aut periodicus convulſionem unius aut alterius muſculi oſtendit, & cum epilepſia, vel hydrocephalo cerebri complicatur. Adventitius permanens ab inæquali horum muſculorum nutritione fit, & ſæpe in infantibus producitur, dum in cunis jacentes lumen a latere vident, ad quod oculos continuo convertendo diſtorſionem oculorum efficiunt.

Strabiſmus congenitus adventitio difficilius curatur, quia vitium conformationis ſupponit, nullis remediis curabile. Fugax, quoniam ſympathicus eſt, prognoſim ſequitur morborum, a quibus producitur. Adventitius a cauſa externa factus facilius curatur eo, quem cauſa interna producit.

Remedia huic morbo minime proſunt cum naturæ viribus aut artificio ſit ſanandus; idcirco nihil aliud tentare oportet, quam infantem cogere, ut oculum ad latus oppoſitum convertat, ſive eum in cunis ita reponendo, ut lumen a latere oppoſito accipiat, ſive larva faciem obducendo, cujus foramen in latere oppoſito ſit, per quod lumen accipiat, qui hac de cauſa oculum in latus oppoſitum convertere conans, muſculi abducentis v. g. contractionem molietur, qua nutritionem & tonum accipiet, exſuſcitato fibrarum carnearum tono ab influxu liquidi nervorum continuo ad muſculum appellentis.

CA-

CAPUT XI.

De Aurium inflammatione & ulcere.

PO ne aures maximus eſt glandularum numerus, e quibus humor in pueris præſertim copioſe exit, quod ex humiditate hujus partis colligitur. Accidit autem ſæpe ut hic humor ſalſuginoſus nimis pruritum primo excitet, deinde excoriationem pariat; unde tota poſtica auris nec non cutis oſſi petroſi vicina inflammantur; accidit autem inflammatio ab ejuſdem humoris viſciditate glandulas obſtruente, vaſa ſanguifera comprimente, & ſic ſanguinis motum in inflammata parte retardante, dolor cum pruritu fit, ſequitur excoriatio, humorque ſalſuginoſus efſluit, qui linteis accipitur, ne, ibi morando, ulteriorem acrimoniam adipiſcatur; tument parotides, maxillares, & reliquæ glandulæ in collo, quæ juxta venas jugulares ponuntur, ex quibus humorum viſciditas evidenter colligitur.

Accidit aurium inflammatio hyeme ſæpius, æſtate rarius; pueros humidos, quales quibus caput craſſius eſt, præ cæteris aggreditur, mundata parte affecta, hæc inflammatio ut plurimum abſque noxa gravi terminatur: verum munditie aurium neglecta, vel humore ulteriorem acrimoniam adepto pravo victu, aut parte ob pruritum durius a puero ſcalpta, inflammatio in ulcus convertitur, quod frequenti vini tepidi lotione, unguento de lithargyro impoſito, aut parato unguento cum tuthia, ceruſa, ſale ſaturni, aloe ſuccotrina & butyro inſulſo, imprimis diæta humectante inſtituta, vel lacte, ſi lactens æger ſit, humido, dulci, & optimo exhibito, purgatione ſemel aut bis celebrata ſanatur.

Accidit autem aliquando ut humor inflamma-

tionem efficiens adeo salsuginosus sit, ut ulcera gravia, & profunda relinquat, quæ ductum auris perforant, vel idem humor simul glandulas hujus ductus afficit, a quibus cerumen aurium eructat, obstructis glandulis, ductus inflammatur dolorque summus adest cum febre & vigiliis, si subito & notabilis facta fuerit inflammatio: verum si inflammatio minimam ductus partem occupet, dolor erit sat remissus, sed successive partes vicinas afficiens suppurationem efficiet, pusque fetidum, flavum, vel albicans extra aurem exibit.

Inflammatio ductus auris in lactentibus vix dignosci potest, in pueris eorum relatu dignoscitur: suppurationem vero pus exiens demonstrat. Hæc auditui nocet, si tympanum pueri rodatur, cariem quoque ossi petroso eadem ratione affert, remediis convenientibus sananda.

Si inflammatio hujus ductus cognoscatur, sanguis illico mittetur, ut suppuratio præcaveatur; dolor lenietur narcoticis dosi convenienti exhibitis, lacte muliebri immisso, vel oleo amygdalarum dulcium; obturato dein auris foramine cum gossypio, ne liquidum illiniens cito exeat.

Ulceri aurium aliter mederi oportet, si pus aquosum sit, & glandulæ ductus sero imbuantur, ob aquosam sanguinis constitutionem, cauterium nuchæ, vel brachiis admovendum, & æger identidem purgabitur sic, si quatuor aut quinque annos natus sit.

℞. *Senn. mundat. dr. i. rh. contus. & tartar. solubil. ana scrup. i. coq. in aq. fontan. s. q. in colatur. unc. iij. dissolv. mann. calabrin. & syrup. rosar. pallidar. ana unc. i s. pot.*

Parabitur injectio in aurem tepide injicienda, sic.

℞. *De-*

℞. *Decoct. hord. unc. vj. mell. roſac. unc. ij. ſ. injectio.*

Huic decocto guttas aliquot ſpiritus vini addere oportet, quoties in aurem injicietur; ſi pus ſeteat, quia ulcus magis detergendum eſt, parabitur altera ſic.

℞. *Folior. abſinth. centaur. minor. & ſcord. ana m. ſem. heder. terreſtr. p. ij. ſummit. hyper. p. i. coq. leviter in ſ. q. decoct. hord. ſerva ad uſum.*

Huic addatur tincturæ myrrhæ una aut altera guttula, vel in ea ſolvatur unguenti Ægyptiaci tantillum, ſi magis ſit locus detergendi: puer decumbet ſuper aurem exulceratam, ut ſic pus facilius exeat. In hunc quoque finem pulveres & injectiones adhibeantur, & linteis calidis auris exulcerata cooperienda, ne ab ingreſſu aeris frigidi lædatur.

Si ulcus in partibus externis ſit, unguentis curabitur, ut digeſtivo vulgari, vel balſamo Arcæi, aut ſuppurativo, vel unguento apii mundificativo, vel Ægyptiaco; ſi ulcus a partibus externis ad cavitatem ductus pervenerit, qualibet die fiet injectio bis aut ter, ut materia hærens auferatur.

CAPUT XII.

De Aphtis.

APhtæ ulcuſcula ſunt albicantia, calore maximo ſtipata, in ore adnata, hæc gingivas, labia, linguam, palatum, & fauces occupant; plura ſunt vel pauciora; in principio tumor eſt exiguus,

rubedine & dolore ſtipatus; quapropter aphtæ incipientes ſunt phlegmonoſi tumores, qui ſuppuratione terminantur; hæc ulcuſcula profunda quandoque videre eſt cum intumeſcentia, & quadam renitentia partium vicinarum.

Quandoquidem ulcus ab humore corroſivo partium continuitatem ſolvente producitur; aphtæ igitur in ore non naſcuntur, niſi ſit talis humor partium continuitatem ſolvens; quapropter nec ulcera erunt ſine calore inſigni; cum vero humor ille prius in parte hærere debeat, quam eam corrodat, ideo tumor in principio eſt phlegmonoſus, nec non compreſſis vaſis ſanguiferis, quæ in vicinia tumoris ſunt, dabitur quoque rubor & calor aliquis. Verum humor acrior factus hærentia, vaſa, in quibus hæret, corrodit; ſolvetur continuitas partium cum ſanguinis effuſione, fietque ſuppuratio, unde major fiet in ore irritatio cum majori caloris ſenſu; hinc calor deurens, & anxietates quibus infantes torquentur.

Verum conſequenter ad irritationem vicinæ partes contractiones majores & frequentiores edunt; glandulæ ergo e quibus ſaliva in os eructatur ſæpius, magiſque compreſſæ majorem ſalivæ copiam exprimunt, quæ ex ore continuo ferme exibit, præſertim ſi ulcera fauces occupantia ejuſdem in œſophagum derivationem impediant. Rurſus quoniam ſaliva, quæ ad ventriculum delabitur pure inquinata, appetentiæ, & ciborum coctioni nocet, erit quoque in Aphtis læſa ciborum digeſtio, aut lactis aſſumpti præparatio, nec non chylus etiam pure inquinatus ſanguinem ulterius inficiet; hinc febris lenta tum emaciatione, & vigiliis, quæ ab oris irritatione præſertim naſci poterunt: hæc autem magis ingraveſcunt, ſi humor ulcera fovens acrior ſit, & ulcera majora partes depaſcentia producat, quo fit ut oſſa palati aliquando carie la-

laborent, vel ulcera adeo plura in faucibus naſcuntur, ut infans niſi cum ſummo labore deglutiat.

Aphras generant quæcumque ſalivam corrumpunt, & ſalibus acrioribus gravidant, ut lac ſalſum, calidum, cruditates in ſtomacho congeſtæ lac ſumptum corrumpentes, victus nutricis exſiccans, & ſalſior ut ſi piperatis, acribus, & ſalſis frequenter utatur, ſi nimis ſe exerceat, ſi vinum nimium, aut liquores ardentes epotet, ſi veneri indulgeat, ſi animi pathemate corripiatur, ſi bilioſa & calida temperatura donetur, ſi lue quapiam ſyphilitica, ſcrophuloſa, aut ſcorbutica laboret.

Hæc ulcera adhuc pariunt morbi prægreſſi ſanguinis ſulphur & balſamum conſumentes: ad hæc quoque contrahenda diſponunt nimia aeris ſiccitas & caliditas; ſic æſtate præterita calidiori quam adhuc memini, aphtæ pueros frequenter afficiebant. Hæc ulcuſcula nonnulli repetunt ab halitibus acrioribus, a lacte in ſtomacho corrupto elevatis. Verum quoniam aphtæ oris cavitatem priuſquam fauces, œſophagum vero nunquam aut niſi inveterata afficiunt, ex eo quoque ſat veroſimile eſt eas potius a ſaliva quam ab halitibus his produci.

Et ſi objiciatur in palato & gingivis, ubi nulli ſunt ſalivales ductus, aphtas obſervari, reſpondemus eas a ſaliva acriori in os delabente, & his partibus adhærente produci poſſe, quod ſat manifeſtum fit in curatione luis venereæ, dum tota oris cavitas ulceribus ſimilibus undique affecta cernitur.

DIAGNOSIS.

Aphtæ ſola oris inſpectione noſcuntur; ſunt enim ulcuſcula albicantia quorum labra rubra, & tumentia dolorem afferunt, cum calore maximo: hæc ſæpe cum difficili dentitione complicantur,

quia dolor gingivarum acutiſſimus ſuccum ſalivalem ita exagitat, ut in extremitatibus vaſorum lymphaticorum majori copia irruat, inflammationem & tandem ſuppurationem ibi pariat, unde aphtæ: deinde cum ſaliva particulis ſalinis imprægnetur, rodit tunicas vaſorum, & ulcera parit. Major aut minor ſalivæ corroſionis, aut depravatæ qualitatis gradus dignoſcitur ex numero, corroſione, & colore livido ulceris, nec non ex inſigniori oris fetore; an cauſa penes nutricem, an penes infantem, lacte explorato facile noſces.

PROGNOSIS.

Aphtæ recentes periculoſæ non ſunt, & inveteratis facilius ſanantur. Quo plures numero ſunt, eo graviores; quia majus humorum vitium ſignificant. Ulcera profunda partes potenter rodentia aphtas graviſſimas declarant; quæ fauces afficiunt, & deglutitioni maxime nocent, periculum infanti minantur. Aphtæ ægrum jugulant, quæ febrem lentam cum maraſmo, ſiti intenſa, vigiliis & anxietatibus pariunt; peſſimæ judicantur quæ oſſa palati carie afficiunt. Demum lethales judicantur, quæ morbo acuto ſuccedentes, omnem remediorum vim eludunt; quæ a lue venerea natales habent, graviſſimæ, quia ob ætatem ægri tenieriorem ſpecificum remedium non ſine periculo adhibetur.

CURATIO.

Huc tendat curationis ſcopus ut ſalivæ corroſio aphtas generans demulceatur, quod abſque reſtituto ſanguinis balſamo adipiſci minime ſperandum. Unde lac nutricis ſtatim examinandum, cum morbi cauſa ſæpius ſit: ſi calidum & ſalſum reperiatur, ſe-

ſeligatur humidius, & melius, nec non, ut lac ſalſuginoſæ ſanguinis conſtitutioni medeatur, nutrix diætam humectantem & demulcentem tenebit, rejectis cibis acidis, piperatis, & exſiccantibus, ſervata quiete corporis & animi, bonum enim lac aphtas præſertim incipientes abſque alio remedio quandoque ſanat; quapropter alium cibum exhibere minime convenit; dein os infantis ſequenti decocto ſæpius ablue; ne pus vel ſaliva acrior in ore diutius moretur, nec non emollitis gargariſmate partibus, tenſio, dolor & irritatio mitigentur.

℞. *Decoct. hord. unc. iij. mell. roſac. unc.* I. *& ſem. ſyrup. de moris unc. i. m. f. gargariſma.*

Ad abluendum os, linteum decocto tepido imbutum cum digito immittatur, leviterque nutrix ulcuſcula deterget; verum & purgantia ad aphtas ſanandas utilia erunt; quia cruditates primarum viarum producunt & fovent, ideo ſunt evacuandæ; parabitur purgatio ſic.

℞. *Senn. mundat. dr. ſem. rh. contuſ. ſcrup. j. coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. unc. iij. diſſol. mann. calabrin. unc. j. f. pot.*

Si puer eſſet aliquot annos natus, augeretur purgantium doſis; purgatione celebrata ſequens pulvis exhibebitur.

℞. *Corall. rubr. præparat. & kinkin. in alkool. redact. ana ſcrup. ſem. f. pulvis cum tantillo lactis exhibendus.*

Vel ipſius loco præſcribatur ſyrupus de cichoreo compoſitus alternis diebus per hebdomadam ſumendus ad unciam unam cum rhæi pulverati granis

octo vel ſeptem. Verum ſi cruditates his non cedant remediis, purgato identidem ægro, crocum martis adhibere neceſſum erit ad grana quinque vel ſex, cum corallii ſcrupulo ſemiſſe pro puero tres aut quatuor annos nato.

Si ulcera oris graviora ſint, & partium, quibus inhærent, ſubſtantiam rodant, parabitur ſequens decoctum magis deterſivum.

℞. *Hord. integr. ſordib. purgat. & ſummitat. rubi ana m. ſem. coq. per horam in aq. fontan. ſ. q. ſub fin. coction. add. fol. ſcord. & roſar. rubrar. ana p. ij. ſummitat. centaur. minor. & flor. hyperic. ana p. j. col. & exprim. poſt levem ebullitionem.*

℞. *Illius decoct. unc. vj. mell. violac. unc. ij. miſc. f. gargariſma, cui tantillum vini rubri tepidi addetur, quo nutrix eos pueri abluat.*

Si hoc decoctum ulcerum corroſionem non ſiſtat, ſolvetur vitriolum in aqua, qua diſſolutione ulcera leviter tangere oportet, & poſtea os abluere cum gargariſmate ſupra præſcripto, cavendo ne puer aliquid hujus diſſolutionis deglutiat, quod vitari poterit puerum erigendo, dum ulceribus diſſolutio admovebitur.

CAPUT XIII.

De vinculo linguæ ſolvendo, & Ranula ſub lingua.

SUb apice linguæ vinculum eſt, quod brevius aut longius linguæ motibus obſiſtit, ita ut inantes, nec lac fugere, nec libere loqui poſſint. Hic morbus in utero contrahitur, dum partes fetus

tus accreſcunt, eſtque pueris multum moleſtus, cum lactis ſuctioni noceat, unde cruditates & maciem contrahunt, idcirco huic mederi illico oportet; ſi brevius ſit, medela a ſolis naturæ viribus exſpectanda, cum nutritio & accretio partium ſit naturæ opus, & ideo, dum ætate creſcente vinculum non elongatur, æger per totum vitæ decurſum balbutit: dum vinculum linguæ longius eſt, apicem ipſius adeo ſtringit, ut infans lac vix ſugere poſſit, quod facile dignoſcitur ejuſdem inſpectione, quia infans lac ſugendo mammam deſerit cum ejulatu quaſi ſuffocaturus, quia puer ob impeditum linguæ motum, lac ac pharingem ægre propellit. Huic facile mederi poſſumus vinculum longius ſolvendo, quod ſic fit. Puerum erigere oportet, ne ſanguis e vulnere effluens in œſophagum ruat; ore diducto, linguæ apicem Chirurgus elevat, & quod ſuperfluum eſt in vinculo, forcipibus amputat; inclinato pueri capite, ſanguis ex ore exit. Deinde vino rubro tepido vulnus abluitur, lotio ſimilis aliquoties iteratur, donec vulnus conglutinatum fuerit.

Circa vinculum linguæ ex parte maximus eſt glandularum numerus, quas ranulas Anatomici vocant, quæ in pueris nonnunquam in tumorem adeo magnum creſcunt, ut lac vix ſugere poſſint infantes; tumor ille laxus & muco plenus eſt; aperto enim tumore, mucus ovorum albumini colore & conſiſtentia non multum abſimilis ſtillat, ex quo facile patet cauſam ipſius eſſe ſuccum ſalivalem, aut lymphaticum viſcidum, & veluti grumoſum, glandularum vaſa emollientem, replentem, atque impenſe dilatantem; quo vero major eſt glandularum intumeſcentia, eo motus linguæ difficilior, & per conſequens lactis ſuctio, atque loquela ab humoris extracti viſciditatem; aliqui hunc tumorem meliceridis ſpeciem eſſe contendunt.

Nec

Nec periculo vacat ranula quando cancrosa est; aliquando suppuratione putrescit, ulcusque ad partes vicinas serpit. Semper periculosa creditur, quia pueros afficit, quorum ætas tenera tumoris apertionem sine periculo non permittit.

Si tumor cancrosus sit, nil exterius moliendum, ne topicis tumor exacerbetur, sed lac optimum infanti præbere oportet, quo suppuratio tumoris præcavetur, & purgatio per intervalla celebrabitur. Si major est puer, diæta erit media incrassans & humectans, præscripta identidem purgatione: si tumor suppuratione putruerit, eadem conveniunt remedia, quæ supra, dum de aphtis, fuere proposita. Verum si tumor nondum suppuratus sit, topicis uti statim convenit. Celebrata purgatione & nutricis lacte debite explorato, si crassius, aut aquosius sit. tenuius seligetur. Sequens parabitur decoctum.

℞. *Folior. burs. pastor. cochlear. & plantagin. ana m. i. balaust. par. iij. malicor. contus. unc. sem. summitat. absinth. p. j. coq. per hor. dimid. partem in aq. fontan. & vin. rub. lib. i. Sub fin. coction. add. rosar. rubr. m. j. in colatur. & express. dissol. mell. rosac. & aq. secundæ calcis ana unc. iij. fiat decoctum quo tumor foveatur.*

Vel si mollior fuerit, lividus & ad putredinem vergere videatur, sequens paretur decoctum.

℞. *Decoct. hord. unc. v. mell. rosac. & aq. secundæ calcis ana unc. ij. spirit. vini unc. j.*

Verum si tumor diu hoc decocto fotus, nec non purgatione celebrata persistat, aut jam maximus sit, & linguæ motum penitus impediat, eum cultro aperire oportet, sæpeque postea abluere cum de-

decocto hordei & melle roſaceo, aut vino rubro tepido; elapſis vero aliquot diebus, vulnus aquis bellilucanis detergendum, donec conſolidatum fuerit. Suadent aliqui tumorem cauterio aperire, quod periculoſum mihi videtur, tum quia cauterium ſimul in linguam ageret, cum præcipue ſaliva, qua os repletur partibus cauterii ſaturata œſophagum, & ſtomachum graviter afficeret.

CAPUT XIV.

De difficili Dentitione.

DEntes officula ſunt in alveolis implantata & gingivis utrinque firmiter ligata, quæ in puero recens nato ſenſibilia utplurimum non ſunt, ſed in gingivis latent, cum pauci ſint pueri, qui dentati naſcantur; a ſexto ad octavum aut nonum menſem dentes erumpere ſolent: incipiunt inciſorii, ſequentur canini, ultimi tandem molares apparent. Non ideo ſine dentibus infantes naſcuntur, quia in gingivis non ſunt, cum in ovo delineati ſint, ſicut & reliquæ corporis partes, ſed quia incrementum & ſoliditatem præſertim ante id tempus non acquirunt. Dentes qui priores erumpunt, locum aliis tardius creſcentibus relinquunt circa annum ſextum vel ſeptimum.

Quoniam eruptio dentium abſque gingivarum dilaceratione non fit, ideo non erumpunt, niſi ſoliditatem oſſeam acquiſiverint. Hinc prima dentium lamina, intima eorum ſubſtantia ſolidior ad oſſium inſtar, ſenſu orbatur; utprimum autem dens ſat ſolidatus eſt, accedente ſucco nutritio accreſcens majores in gingivam conatus edit, quibus eam dilacerat, & viam ad erumpendum ſibi fa-

facit, quam antea præ mollitie facere non potuerat. Verum quoniam gingiva ſenſu ſat exquiſito fruitur, abſque dolore dilacerari non poterit; quapropter alma parens natura non omnes ſimul induravit dentes, ne omnes ſimul erumpentes adeo gravem dolorem producerent, cui infans reſiſtere minime poſſet; hinc inciſorii primi erumpunt, canini ſequuntur, tandemque molares ſucceſſive erumpent, nec gravis dolor eorum eruptionem ſequetur, toties morbus non eſt, cum eruptio dentium ſit juxta leges naturæ debitas ſtatuta. Verum quandoque fit ut propter gingivæ firmiorem textum aut numerum dentium ſimul erumpentium ſymptomata adeo gravia dentitionem comitentur, ut hæc difficilis & morboſa merito dicatur, præſertim ſi plures dentes molares ſimul erumpant, quia baſis major, majorem quoque gingivarum dilacerationem efficit.

In difficili & morboſa puerorum dentitione gingivæ nimis irritatæ inflammantur, tument & albicant præcipue in parte, e qua dens erupturus eſt: ſopore puer detinetur cum febre & motibus convulſivis; lac ſugere amplius nequit; vomitu, frequentius vero alvi fluxu detinetur; ſi dolor remiſſior ſit, vigil, anxioſus eſt, lac difficile ſugit, ejulatus ſunt continui; morbo perſeverante, aphtæ gingivas & os infectant, puer emaciatur, dejicit excrementa viridia & mire fetentia.

Quandoquidem in difficili dentitione gingivæ præter modum irritatæ dolorem acerbiſſimum pariunt, ex eo neceſſe eſt ut ſanguis uberius ad eas confluens ſiſtatur, unde inflammatio gingivarum producitur, ſeu tument cum dolore, calore & rubore; verum pars quæ denti erupto adjacet, ceteris plus diſtrahitur; ergo vaſa ibi nimis ſanguine repleta tumorem albicantem efficient; dein cum a calore gingivarum præternaturali ſanguinis mo-

motus in partibus vicinis intendatur, erit quoque major calor in ore; ſed a calore ſerum humorum abſumitur, & ſales exaltantur; fiet etiam ut ſaliva acrimoniam adipiſcatur, & ad aphtas generandas idonea evadat; ſed adhuc ad lac ſugendum requiritur ut maxilla inferior ſucceſſive contracta papillam comprimat: gingivis inflammatis papillam ſine dolore comprimere non poterit; igitur puer lac non niſi difficile ſuget: ab eadem gingivarum inflammatione vigiliæ & anxietates orientur. Interim quia dolor nervos ſuccutit, & liquidum ipſorum, ſimulque univerſam humorum maſſam commovet, ciborum digeſtionem alterabit, vel cruditates in primis viis morantes exaltabit, quæ ventriculum & inteſtina vellicantes, vomitum, aut alvi fluxum promovebunt. A cruditatibus, vel a dolore gingivarum, aut utraque ſimul cauſa concurrente, febris intenditur. A febre autem, & defectu reparationis, quæ læſam coctionem ſemper ſequuntur, puer emaciabitur.

Cum autem dolor gingivarum maximus quandoque ſit, ideo nervi adeo graviter afficiuntur, ut dura mater vehementius, ſed inæqualiter cerebrum comprimat; inde ſopor cum motibus convulſivis producitur; gingiva æſtuat, areſcit, nulloque modo lac ſugere poteſt infans: pulſus celer, & parvus eſt, quia ob potentem ſtimulum gingivis admotum nervi tam ſorte vibrantur, ut celerem liquidi ſpirituoſi influxum ad cor & arterias promoveant, quo promptam & celerem contractionem abſolvent.

DIAGNOSIS.

Difficilis puerorum dentitio ex gingivarum tumore, dolore & rubore totiuſque oris calore ſat facile noſcitur.

PRO-

PROGNOSIS.

Eo gravior judicatur, quo plura atque graviora parit ſymptomata: ſi infans macilentus & debilis ſit, vel morbo prægreſſo debilitatus, plus periclitatur, quam ſi vegetus & ſanus ſit; plus quoque periculi eſt, dum plures ſimul dentes eruptionem moliuntur. Maximum vero periculum eſt, ſi plures molares ſimul eruptionem moliantur, quia baſis illorum cæteris longe major, majorem cæteris gingivarum dilacerationem efficit: tandem quo puer ætate provectior eſt, eo quoque difficilior dentitio, quia gingiva firmior difficilius a dentibus ſcinditur, & ejus dilaceratio dolorem graviorem affert. Hinc alma parens natura eruptionem dentium in tenera ætate molitur.

CURATIO.

In difficili dentitione, lac quo veſcitur infans illico explorandum; ſi calidum, craſſum, vel ſalſum ſit, aliud ſeligere neceſſum eſt; nutrix vero diæta humectante & refrigerante utatur; poſtea gingivas emollire atque refrigerare convenit. Fricentur ergo digito melle cum butyro mixto illinito, vel inungantur mucilagine ſeminis pſyllii aut pulpa radicis althææ, vel cerebro leporino, quo mulieres noſtrates in hoc caſu frequenter utuntur: ſi vero calor & rubor ſint maximi, ſucco ſolani & malvæ gingivæ illinientur; ſæpius quoque os infantis explorare oportet, & digitis tangere utrum dentes erupturi jam gingivæ ſuperficiem attingant, quod facile noſcitur tactu: tunc quoque gingiva cultro foret incidenda, quo facto omnia ſymptomata remitturtur. Verum quoniam ratione doloris & febris, metus eſt, ne humores cum impetu in partes internas fluant, ideo ſan-

guis

guis mittatur, ut venæ ſectione humorum decubitus præcaveatur; & dolor atque inflammatio gingivarum remittantur.

Iterabitur venæ ſectio, ſi neceſſe ſit, & vires pueri hanc ferre valeant: alvi profluvium prohibere periculoſum eſt, ne cruditates, quæ alvo excernuntur retentæ febrem intendant, & in partes internas ruant; tunc clyſteres injicere neceſſe erit, ne inteſtina ſæpius irritata inflammentur. Sequens ergo paretur.

℞. *Flor. malv. violar. & furfur. macr. ana m. ſem. ſemin. lin. p. j. coq. in aq. font. ſ. q. in colat. unc. vj. diſſolv. lenitiv. & ol. amygdal. dulc. ſine igne parat. ana unc. j. f. clyſter.*

Si vomitu æger detineatur, ad compeſcendam irritationem, quæ in ventriculo fit, ſequens paretur julepus.

℞. *Semin. contr. p. j. coq. leviter in aqua portulac. unc. iij. in colatur. & expreſſ. diſſolv. confect. de hyacinth. dr. ſem. corall. rubr. præparat. ſcrup. ij. ſal. abſynth. ſcrup. ſem. ſucc. limon. & aq. naph. ana unc. ſem. f. julepus cocleatim ſumendus.*

His narcotica adjungere neceſſe eſt doſi convenienti exhibita, ut dolor remittatur; utprimum febris & dolor remiſerint, ad ſordes primarum viarum evacuandas, ſequens potio purgans præſcribatur.

℞. *Senn. mundat. dram. ſem. rhabarb. contuſ. ſcrup. j. ſemin. contr. p. j. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. dr. vj. ſyrup. de cichor. compoſit. cum rheo unc. j. f. pot.*

Dein

Dein ad ſtomachum corroborandum per triduum puero exhibebitur ſyrupi de cichorio compoſiti uncia una cum rhei pulverati granis quinque, & cochleari uno aquæ cichorii.

Verum ſi ſopor & motus convulſivi difficilem dentitionem comitentur, & ſuſpicio ſit hæc ſymptomata a cruditatibus exaltatis in cerebrum ruentibus ortum accepiſſe, ut ex halitibus fetentibus ex ore exeuntibus, ventris inflatione, vermibus per anum excretis, argilloſis dejectionibus, ſat indicatur, vomitorium cum purgantibus exhibebitur ſic.

℞. *Fol. oriental. dr. ſem. ſemin. contr. p. j. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. unc. j. add. vin. emetic. dr. iij. f. potio.*

Celebrata purgatione, infuſio kinækinæ bis aut ter in die præſcribetur, & ante primum hauſtum puer ſumet pulveris de Giutteta grana duodecim, cum lactis cochleare. Die ſequenti purgatio ut ſupra iterabitur abſque emetico. Si vires non conſtent, cardiacis inſiſtere neceſſe eſt, nec purgantia ſunt exhibenda, donec viribus reſtitutis puer evacuationem ferre valeat.

CAPUT XV.

De Tuſſi Puerorum.

TUſſis eſt prompta, & violenta pectoris contractio, ratione cujus aer cum impetu e pulmonibus expellitur; fit ab irritatis imis faucibus, vel trachea arteria, quæ partes ſenſu adeo exquiſito

sito donantur, ut facile stimulum applicatum sentiant, ut patet dum aquæ guttula ridendo laryngis cavitatem ingreditur, quæ tussim vehementissimam parit: tussim igitur pariunt halitus e stomacho, læsa coctione ad fauces producti, easque vellicantes, & ideo pueri, quia voraces sunt, tussi sæpe laborant; similiter lac in stomacho lactentium acescens, halitus ad fauces emittit, a quibus irritatio harum partium fit, quæ etiam accidit ab humoribus e sinubus capitis, vel e naribus per lacunar faucium ad fauces descendentibus: irritatur adhuc trachea arteria ab humore ibi secreto acriori & salsuginoso, vel obstructis glandulis hunc humorem e sanguine derivantibus, ut fit in catarrho thoracis, ab aere frigido oriundo, trachea arteria non illinita transpiratione e pulmonibus manante irritatur. Fiet adhuc tussis ab halitibus acrioribus e pulmone exaltatis tracheam exsiccantibus atque irritantibus.

Dum humor salsuginosus per vasa bronchialia ad ductus tracheales deducitur, pulmones exsiccabit, & tracheam pariter afficiet, & ideo tussis nascitur a vitio stomachi lac corrumpentis; vel si infans lac calidum & salsuginosum sumat; aut si aeri frigido expositus, insensibilis perspirationis suppressionem patiatur, quæ suppressa copiosius ad pulmones ruit. Demum si infans vitiosam sanguinis constitutionem a parentibus acceperit, tussi minima de causa obnoxius erit.

Quoniam vero a tussi violenta fit thoracis concussio, & pulmo irregulariter & valide comprimitur, motus quoque sanguinis in ipso circulantis perturbabitur: hinc vasorum ruptio fieri poterit, sed & ipse stomachus sæpe & valide in tussi concussus lac male præparabit, unde mala infantis nutritio. Hinc febris nascetur, præsertim si tussis a vitio stomachi originem duxerit, unde

vigiliæ, emaciatio, anxietates, & reliqua quæ febrem comitari ſolent ſymptomata.

PROGNOSIS.

Eo gravior eſt tuſſis, quo validior & frequentior, quia thorace ſæpius validiuſque concuſſo, motus humorum in ipſo perturbatur; lactis præparatio læditur, & motus febrilis intenditur; ſi diu durat, irritis remediis graviſſima judicatur, quia cauſam validius agentem ſupponit; emaciationem, febrem, & phthiſim ſibi adjungit.

CURATIO.

Ad tuſſim curandam, huic imprimis attendat Medicus, ut lacte optimo veſcatur infans, cum a lacte vitioſo ſæpius fiat, & eo mutato, ea quoque curetur; quo facto, ſi tuſſis non deſierit, narcoticis eam ſedare oportet. Exhibebitur ſyrupus papaveris albi, ad drachmas duas vel tres puero unius anni, ſed ſucceſſive doſim augendo, ne nimia diacodii quantitate infans ſopore corripiatur: dein purgabitur, ne lac in ſtomacho aceſcat.

℞. *Mann. calabrin. dr. vj. diſſolv. in aq. lilior. unc.* 1. *& ſem. add. ſyrup. de cichor. compoſit. unc. i. ſ. potio.*

Iterabitur narcoticum ut ſupra & altera die bis exhibebuntur infanti corallii rubri præparati grana quindecim, cum lactis cochleare quo remedio iterato, ſi tuſſis non remittatur, per triduum infans ſumet ſyrupi de chichorio compoſiti unciam unam, cum rhabarbari pulverati granis duodecim, & aquæ cichorii cochleare uno. Looch etiam ſequens parabitur.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. lilior. unc. ij. ſyrup. jujubar. & violar. ana dr. ſem. flor. benjoin. ſcrup. ſem. f. looch.*

Verum infanti tuſſienti nihil lacte utilius; idcirco nutricem refrigerare oportet juſculis pulli refrigerantibus, aut cremoribus hordei, vel oryzæ, & ſe abſtinebit ab uſu vini, ſalſorum, piperatorum, acidorum, crudorum, aliorumque lac vitiantium. Si puer tuſſiens ſit ablactatus, diæta humectans & refrigerans inſtituetur, ſanguis mittetur, narcotica majori doſi præſcribentur, & celebrata purgatione lac caprillum exhibebitur, ſumptis corallii præparati granis quindecim, ante lactis hauſtum. Verum ſi tuſſis uſu lactis hujus ad hebdomadas continuati non remittatur, purgabitur iterum; & ne macie febreque lenta juguletur, lac muliebre ipſi præſcribere oportet, ſuppreſſis cibis ſolidis, ne eorum miſcela, lac in ſtomacho aceſcat.

CAPUT XVI.

De Vomitu & Singultu.

SIcuti viros, ita & pueros, ſed frequentius, ſingultus afficit; eorum enim ſtomachus adhuc debilis, male concoquit cibos aſſumptos, ex quibus halitus acriores exſurgunt, œſophagi extremitatem, quæ ſtomacho eſt continua, irritantes, quam irritationem ſingultus ſequitur; & tametſi ab aliis cauſis ſingultus produci poſſit, ut fuſe expoſuimus in tractatu noſtro morborum infimi ventris, attamen pueros & infantes non aggreditur ut plurimum, niſi propter ſtomachi vitium-

quoniam enim ventriculus ipſorum debilior lac copioſius aſſumptum, aut mali moris debite præparare non valet; hinc fit ut mora corrumpatur, & halitus irritandi capaces emittat, a quibus ſingultus orietur; cum extremitas œſophagi, diaphragmati in tranſitu annexa, irritationem ſentire non poſſit, niſi diaphragma per conſenſum afficiatur; ex qua alternis vicibus liquidum nervorum uberius & promptius in diaphragma irrumpit; unde convulſiva ipſius contractio. Similiter pueri ablactati, quoniam voraces majorem ciborum quantitatem aſſumunt, quam eorum ſtomachus ſubigere valeat, cruditates congerunt, & ſingultiunt; neque periculum habet adjunctum ſingultus dum ſolus afficit, & alterius morbi ſymptomata non eſt: cruditates congeſtas, & læſam tantum digeſtionem ſignificat. Hujus curandi methodum, poſtquam vomitus hiſtoriam propoſuero, proponam, cum iiſdem remediis uterque affectus curetur.

Lactentes & pueri abſque vitioſa partium affectione vomunt, voraces adeo ſunt, ut ſæpe plus ciborum, & lactis aſſumant, quam ſtomachus digerere valeat, quibus diſtractus & irritatus contractione ſua naturali inſurgit, ut per os exſuperantem cibi copiam rejiciat; nec hic vomitus morboſus habendus eſt, cum abſque functionum læſione fiat; quapropter hic agimus de vomitu crebro, ſeu ſæpe redeunte, & functionum exercitium lædente; hic ſæpe in lactentibus fit, quia ſtomachus non ſufficienter crevit, nec ſine diſtractione ad illam poteſt pervenire amplitudinem, quæ ad ſufficientem lactis quantitatem continendam requiritur. Quoniam autem lac ſtomacho acceptum in eo expanditur, ſtomachum quoque dilatari oportet; quapropter ſi ob incrementi defectum, dilatationis amplius capax non ſit, validam diſtractionem patietur, qua ad ſe fortiter con-

contrahendum ſtimulabitur; lac quoque per ſuperiora expellet. Hinc vomitus per ſe curatur, creſcente enim puero creſcit etiam ſtomachus, majoris dilatationis capax fit, ſoletque lactentes afficere uſque ad octavum, decimum, aut duodecimum ætatis menſem.

Fit etiam vomitus a lacte in ſtomacho putreſcente, vel a cruditatibus in eo diu morantibus, & exaltatis, a quibus irritatur & ad validam contractionem efficiendam ſtimulatur: accidit etiam ab humoribus ſalſuginoſis a ſanguine in hac parte depoſitis, vel ad eam ex duodeno aſcendentibus: oritur adhuc ab obſtructione pilori, maſſæ ciborum ex ſtomacho ad duodenum deſcenſui obſiſtente, quæ cauſa vomitus in pueris rariſſima eſt. Tandem fit vomitus ab infarctu cerebri liquidum nervorum ad ſtomachum uberius promovente, quo validius conſtringitur. Sic ictus & concuſſio capitis, acceleratus ad caput humorum motus, vel ſanguis viſcidior per cerebrum provolutus, & in ipſo ob nimiam mollitiem uberius congeſtus, vomitum in pueris ſæpe pariunt.

Quoniam autem ventriculus chylificationis officina eſt, inſtante vomitu ea rejiciuntur quæ in chylum mutanda erant; idcirco nutritio lædatur, eaque læſa, corpus emaciabitur, virium fiet proſtratio, anxioſus & vigil puer erit, motuſque febrilis cito accedet, cum, deficiente chylo, ſanguis nequeat reparari, cum adhuc humores excrementitii e chylo præcipue producantur, eo deficiente, illi quoque parcius excernentur; hinc paucam urinam renes derivabunt, & alvus aſtricta erit, cum minima materierum quantitas per inteſtina provolvatur.

PROGNOSIS.

Vomitus in pueris eo gravior, quo crebrior eſt, aut gravioribus ſtipatur ſymptomatis; ſic qui raro accidit abſque ſenſibili aliarum functionum læſione, levis judicatur, quia a lactis aut cibo-rum nimia copia, vel cruditatibus quantitate con-geſtis oritur: ſecus vero gravis exiſtimatur, qui ſæpius recurrit cum vigiliis, marcore inſigni, & febrili motu: mitis vomitus eſt dum lac abſque alteratione rejicitur; gravis eſt, dum lac coagula-tum cum materiis fetentibus flavis aut viridibus difficile ejicitur: graviſſimus omnium eſt, dum per eos rejecta nigreſcunt.

CURATIO.

Quandoquidem pueri propter voracitatem & ſtomachi debilitatem vomitum ſæpius a cruditati-bus, rariſſime ab aliis cauſis contrahunt niſi mor-borum complicatio adſit, idcirco huc dirigenda curatio, ut cruditates congeſtæ auferantur, & ſto-machus corroboretur, explorato lacte, ſi lactens adhuc ſit, vel ſi puer ablactatus fuerit cibis con-venientibus modice cibatus, ut ovis ſorbilibus, panatellis & juſculis; ſi febris cum vomitu com-plicetur, ſanguinem mittere oportet, ne urgente vomitu ventriculus inflammetur, deinde clyſter injicietur puero tribus annis nato, ſic.

℞. *Decoct. clyſter. commun. refrigerant. & la-xant. unc. viij. diſſolv. cathol. dr. v. mell. violac. unc. i. f. clyſter.*

Hora ſomni ſequens exhibebitur julapium.

℞. *Aq. roſar. unc. ij. confect. de hyacinth. ſcrup. i. co-*

i. corall. rubr. præparat. ſcrup. ſem. ſal. abſinth. gr. vj. ſyrup. papav. alb. dr. ij.

Si vomitus frequenter urgeat, exhibebitur ſyrupus papaveris albi cum cochleari aquæ naphæ, ut facilius retineri poſſit; poſtea ut ſaburra in ſtomacho latens auferatur, ypecacuanha mane præſcribebitur ſic.

℞. *Ypecacuanh. gr. x. confect. de hyacinth. ſcr. i. aq. cichor. cochlear. i. capiat.*

Sero julapium ut ſupra præſcribetur. Si lactens eſſet æger, ypecacuanha non eſſet præſcribenda, ſed potio purgans exhiberetur: altera die ab ypecacuanha purgabitur ſic.

℞. *Fol. oriental. dr. ſem. rhabarb. contuſ. ſcrup. i. ſal. abſinth. ſcrup. ſem. coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. & expreſſ. unc. iij. diſſolv. mann. calabrin. unc. ſem. ſyrup. de cichor. compoſit. unc. i. capiat.*

Altera die a purgatione exhibebitur ſyrupus de cichoreo compoſitus ad unam cum rhabarbari pulverati granis decem, & tantillo aquæ roſarum, quod remedium per triduum continuabitur: ſero autem exhibere oportet corallii rubri præparati grana quindecim, diaſcord. Fracaſtor. ſcrup. i. cum aquæ roſarum uncia una. Antiqui epigaſtro admovebant cruſtam panis vino malvatico madidam, cinnamomo & nuce moſcata pulveratis conſperſam. Fugato vomitu, ne redeat, ad ventriculi actionem, & digeſtionem ciborum promovendam, ſyrupus de abſinthio per triduum aſſumetur, aut vinum ejuſdem, addito cinnamomo; vel infans utetur pro potu ordinario infuſione rhabarbari, qua

ventriculum infantium perfecte fuiſſe corroboratum ſæpius obſervavi.

CAPUT XVII.

De Torminibus puerorum; ſeu Colico dolore.

ACcidit ſæpe ut lactentes, & pueri colico dolore inteſtinorum affligantur; tumet tunc temporis abdomen, & flatus per ventrem vagantur; aliquando abſque ventris intumeſcentia hic dolor fit; urgente dolore infans flet, ejulat, commovetur mille modis, lac ſugere nequit, mammamque exhibitam recuſat, dolor periodice citius aut tardius recurrit, excreta per anum fetent, flava aut viridia utplurimum ſunt.

Quoniam dolor colicus inteſtinorum, aut irritationem, aut diſtractionem ipſorum ſupponit, a qua fibræ nerveæ inteſtina perreptantes fortius & præter naturam ſuccuſſæ, triſtem ac moleſtam animæ pariunt ſenſationem; quæcumque igitur inteſtina irritare, aut diſtrahere poterunt, erunt cauſæ remotæ colici doloris. Atqui a materia viſcida in inteſtinis ſe expandente, & flatus generante diſtractionem fieri poſſe manifeſtum eſt, cum flatus inteſtinorum tunicas extrorſum trudentes, fibrillas, quibus ipſæ componuntur, diſtrahant; quæcumque igitur materiam hanc viſcidam & flatulentam generant, dolorem colicum pariunt. Hæc autem viſcida materia ex ſtomacho cibos aſſumptos male concoquente in inteſtina utplurimum deſcendit; etenim cum ciborum coctio læditur, reſiduum coctionis læſæ male attritum & diviſum, tenax & viſcidum fit; nec non ad flatus generandos in inteſtinis aptiſſimum, accedente bile, ſuc-

co

co pancreatico, quorum miſcela magis expanditur, & rareſcit; & ideo pueri & lactentes viris frequentius dolore colico affliguntur, quia voraces admodum ſunt, & ciborum, aut lactis majorem copiam ſumunt, quam a ſtomacho debili ſubigi poſſit: ſimiliter bilis viſcidior hunc quoque efficere poterit; naſcitur adhuc a lacte viſcido, pinguiori, quo infans veſcitur, aut a cibis craſſioribus, quos pueri aliquando aſſumunt.

Inteſtina irritant bilis exaltata, & ſalſuginoſa, ſuccus pancreaticus ſalſior, vel humor e glandulis inteſtinorum ſtillans acrior, & mordacior; pariter ſucci mordaces e ſanguine ad inteſtina fluentes hanc irritationem efficiunt: fit adhuc dolor colicus a lacte calidiori & ſalſo, quod infans fugit; quæ cauſa eſt omnium frequentior doloris colici infantium: quoniam enim lac in ſtomacho præparari nequit, ad inteſtina truditur cum eadem acrimonia qua punget & vellicabit, vel cum bile validius luctans ulteriorem adipiſcetur acrimoniam, qua inteſtina fortius irritabit.

Quandoquidem vigente dolore colico, nervi inteſtinorum ſuccuſſi, emporium, liquidumque ibi morans commovent, & ad promptiorem influxum determinant, idcirco oportet ut infans e ſomno excutiatur cum fletu, ejulatu, & corporis jactatione. Verum quoniam dolor per intervalla brevia ſæpe ſæpius recurrit, hinc quoque univerſa humorum moles magis exagitatur, unde febris cum calore intenſo totius corporis. Demum quoniam dolor colicus læſam coctionem ſupponit aut producit, idcirco alvinæ feces flavæ, virides, & nigricantes, ſed ſumme fetentes excernuntur, prout materia ex ſtomacho ad inteſtina dilabens, magis aut minus eſt acida, bilis quoque magis aut minus exaltata.

DIAGNOSIS.

In pueris dolor colicus ex relatu ægri dignoſcitur: in lactentibus vero conjicitur ex abdominis intumeſcentia, flatuum ſupra vel infra eruptione, corporis commotione, & fecibus flavis præſertim aut viridibus maxime fetentibus, nec non quia infans ſubito & ſine cauſa manifeſta e ſomno excitatur cum fletu & ejulatu, mammamque exhibitam reſpuit; cur venter tumeat, etiam non vigente colica, ex dictis ſatis patet, cum hic affectus modo irritante oriatur.

PROGNOSIS.

Gravior eſt colica, quæ ab irritantibus naſcitur humoribus, ea quam coctio læſa vel materia flatulenta parit; illa enim citius iſta febrem & inteſtinorum inflammationem accerſit; quo ſæpius dolor redit, malum; quo tardius, bonum. Varia adhuc afferatur prognoſis ratione ſymptomatum comitantium: ſi febris, motus convulſivi, calor & æſtus maximus viſcerum colicam ſequentur; inteſtinorum inflammationem ominantur: dejectiones graviter fetentes, virides, aut nigricantes peſſimæ ſunt; quia majorem bilis exaltationem, & materiæ in inteſtinis contentæ putrefactionem ſignificant; flavæ vero & leviter aut nullatenus fetentes mitiorem colicam, & minorem humorum a ſtatu naturali receſſum demonſtrant.

CURATIO.

Quoniam ratione doloris periculum eſt, ne inteſtina irritata inflammentur, ſanguis illico mittendus, præſertim, ſi febris adſit, niſi hanc ferre minime poſſit tenerior ægrotantis ætas. Sanguine miſ-

miſſo, ſi dolor ab humorum acrimonia oriatur, ſequens injiciatur clyſter.

℞. *Furfur. macr. & cucurbit. in fruſtul. ſect. ana m. i. ſemin. lin. p. j. coq. in aq. fontan. ſ. q. ſub fin. coction. add. liquirit. raſ. & contuſ. dr. ij. flor. malv. m. i. in colatur. unc. vj. diſſolv. mell. violac. unc. j. ol. amygdalar. dulc. unc. ij. f. clyſter.*

Hora ſomni exhibebitur ſyrupus papaveris albi ad drachmas duas vel tres; ſi infans ætatis ſit provectioris, olei amygdalarum dulcium cochleare unum propinabitur; & ſi æger lacte adhuc veſcatur, id explorare neceſſe eſt, ne a lacte pravo morbus foveatur. Fovebitur etiam abdomen decocto plantarum emollientium, aut lacte tepido, dein clyſterem injicere juvat. Notandum clyſteres, vigente dolore, parciori doſi eſſe injiciendos, ne inteſtina nimis diſtendendo dolorem augeant. His dolore mitigato, æger ſic purgabitur.

℞. *Mann. calabrin. unc. j. diſſolv. in aq. lilior. unc. ij. add. ſyrup. de cichor. compoſit. unc. j. fiat potio cum regimine ſumenda.*

Hora ſomni narcoticum exhibebitur donec morbus fuerit ſanatus. Celebrata purgatione pulverem ſequentem ſumet per triduum mane cum tantillo lactis.

℞. *Corall. rubr. præparat. g. x. rhabarb. pulverat. gr. v. capiat.*

Si æger lacte non utatur, augebitur medicaminum doſis, juxta ejuſdem ætatem.

Si dolor colicus a flatibus producatur, ſanguis etiam mittatur, ſi dolor acutus admodum ſit, aut fre-

frequentius redeat, pulſuſque acceleretur; ſed ſi dolor remiſſior ſit, nullumque immineat febris aut inflammationis inteſtinorum periculum, ſanguinem mittere minime neceſſe erit; ſed ſequens parabitur clyſter.

℞. *Flor. malv. violar. & betæ, ana m. ſem. ſemin. aniſ. & fenicul. ana p. j. coq. in aq. font. ſ. q. in colatur. unc. vj. diſſolv. catholic. unc. ſem. mell. violac. & ol. chamæmel. ana unc. j. f. clyſter.*

Abdomen fovebitur cum linteis calidis, & hora ſomni ſequens parabitur julepus.

℞. *Aq. cichor. unc. iij. aq. naph. dr. iij. confect. de hyacinth. ſcrup. j. ſyrup. papav. alb. dr. ij. capiat.*

Semel aut bis in die infanti exhibebitur confectionis de hyacintho ſcrupulus unus, coralli ſcrupulus ſemiſſis, cum tantillo lactis. His ita factis purgatio ſic celebrabitur.

℞. *Senn. mundat. & ſemin. aniſ. ana p. j. rhabarb. contuſ. ſcrup. j. ſal. abſinth. ſcrup. ſem. coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. & expreſſ. diſſolv. mann. calabrin. unc. j. f. pot.*

Altera die a purgatione, infuſio kinækinæ cum rheo bis propinabitur, quæ per triduum continuabitur, & deinde iterata purgatione ſyrupus de abſynthio ad unc. j. per aliquot dies ſumendus præſcribetur; ut his reſtituto ſtomachi vigore flatus in inteſtinis ultra non generentur.

CA-

CAPUT XVIII.

De Alvi fluxu.

Quandoquidem ſtomachus puerorum nondum firmus, ſatque vegetus eſt, ut magna ciborum copiam ſubigere poſſit, quam pueri voraces ut plurimum aſſumunt; inſuper lac facile in ſtomacho debili infantium aceſcit, hinc quoque fit ut alvi fluxu ſæpe corripiantur, cujus diverſæ ſpecies ſtatuuntur ratione coloris materiæ excretæ; unde ferоſus, argilloſus, flavus, viridis & ſubniger alvi fluxus.

Cum igitur debita excretorum per anum conſiſtentia vigorem ſtomachi ſignificat, ex eo liquet in alvi fluxu functionem ſtomachi depravari; ita ut materia chylacea male preparata & e ſtomacho ad inteſtina detruſa, male quoque in inteſtinis perficiatur; unde frequentior inteſtinorum contractio naſcitur, qua materiæ ad anum citius detruduntur. Quoniam vero maſſa ciborum in ſtomacho male ſubacta in cruditatem acidam facile abit, ex eo quoque alvi fluxus ferоſus aut argilloſus naſcetur, prout materia indigeſta majorem aut minorem fluiditatem adipiſcetur. Verum lac acidum eſt, ergo facilius cruditatem acidam producet, quæ a bile, ſucco pancreatico, aliiſve liquidis in canalem inteſtinorum derivatis diluta alvi fluxum facile producet, cum halitibus acidis ex ore exeuntibus, nec non aliqua ventris intumeſcentia.

Verum ſi maſſa ciborum depravata partes acidas habeat magis exaltatas, & bili in inteſtinis occurrat fervidiori & calidiori, dabitur lucta eorum inſignis, quæ æſtum viſcerum, anxietates, vi-

vigilias, majoremque inteſtinorum irritationem cum aliquo motu febrili efficiet, & prout bilis magis aut minus abundabit, aut ſales ipſius alkalini acidis erunt magis, aut minus ſaturati, dabitur alvi profluvium flavum aut viride, cum experientia fuerit demonſtratum bilem acidis fixis & potentibus ſaturatam vireſcere: verum quoniam hæc materia ad irritandum multum eſt idonea, frequens admodum erit alvi depoſitio, & materia exiens podicem irritando excoriabit: erit quoque fetor excrementorum inſignis, quia materia hæc in inteſtinis valide fermenteſcendo corrumpitur, & inteſtina potenter irritans, ſanguinem quandoque exprimit ex ipſis; unde color excrementorum ſubrufus; hæc alvi fluxus ſpecies dyſenteriam & febrem parit, ſi aliquandiu perſeverat; quacumque alvi fluxus ſpecie puer detineatur, marcore & virium proſtratione cum facie decolore afficitur, tum propter inappetentiam, tum propter coctionem læſam, qua fit ut minima chyli quantitas ſanguini ſuppeditetur, quæ reparationi non ſufficit; dum diſſipatio maxima eſt ob frequentes alvi depoſitiones, vigilias, anxietates, & aliquando febrem, quibus infans corripitur.

DIAGNOSIS.

Alvi fluxus ſatis noſcitur ex frequentiori alvi depoſitione, cujus ſpecies oſtendunt color, conſiſtentia, & fetor excretorum; quæ vero cauſa hunc produxerit, facile Medicus diſcet explorato lacte nutricis, aut cognitis cibis quibus puer veſcebatur: an ſolus, vel cum alio morbo complicatus puerum afficiat, ex obſervatione accurata omnium ſymptomatum ſat cognitu facile erit.

PRO-

PROGNOSIS.

Alvi fluxus ferosus aut argillosus pueris ut plurimum prodest, modo diutius non perseveret; & curatu non multum difficilis est, nec tamen semper periculo caret; præsertim si vermes excernantur, excreta multum fœteant, vires, & appetitus prostrentur, motusque febrilis excitetur, quia materia putrefacta ex intestinis ad sanguinem delata gravissimos parere potest affectus. Gravior est alvi fluxus biliosus, quia ob bilem exaltatam & frequentiores intestinorum irritationes, febris citius accenditur, & non leve est periculum inflammationis fistulæ intestinalis; gravior hac de causa judicatur alvi fluxus in quo excreta per anum viridia sunt ob majorem bilis exaltationem, & chylificationis depravationem. Omnium gravissimus est, dum excrementa nigrescunt; quia maximam bilis acrimoniam indicat; hinc febris marcore insigni stipata nascitur; hæc quoque dysenteriam & intestinorum exulcerationem cæteris facilius producit; omni alvi fluxus speciei diutius perseveranti hydrops tum particularis, tum universalis adjungitur.

CURATIO.

Alvi fluxus ferosus vel argillosus ex se sæpissime curatur; mutata nutrice, si lac bonum non sit, aut cibis convenientibus modica quantitate puero exhibitis; ut offæ, panatellæ, ova sorbilia. Carnes vero & fructus concedere non oportet, quia stomachi debilitatem augendo alvi fluxum foverent, vel pejorem efficerent. Diæta sic instituta, si morbus non desinat, ad stomachica, leviterque purgantia confugiendum. Præscribetur mane per aliquot dies syrupi de cichorio compositi uncia una,

ad-

addita rhei pulverati dosi juxta ætatem ægri. Remisso alvi fluxu puer purgabitur.

℞. *Senn. mundat. dr. j. rhabarb. contus. dr. sem. summitat. absinth. minor. p. j. coq. in aq. fontan. unc. iv. in colatur. dissolv. mann. calabrin. unc. i. & sem. f. pot.*

Si æger lacte utatur, minuatur purgantium dosis. Celebrata purgatione syrupus de absinthio mane per aliquot dies ad unciam unam exhibebitur ut stomachus corroboretur: ad reditum morbi præcavendum, puer utetur pro potu ordinario infusione rhabarbari, præsertim si diarrhææ obnoxius sit, vel faciem habeat pallidam, subturnidam, & appetitus sufficienter non vigeat.

Si alvi fluxus bilioſus sit, quod indicabitur colore excrementorum flavo, viridi, aut nigro, licet febris non adsit, quoniam cito invasura est, & periculum inflammationis propter irritationem imminet, idcirco diætam statim tenuem & refrigerantem, si puer sit, instituere oportet; vel lac seligendum tenue & dulce, si æger lacte utatur, & nutrix cibis boni succi utatur, ut cremoribus hordei, oryzæ; sedulo vitentur exercitia, animi pathemata, cæteraque lac alterantia, dein sanguis mittetur & clystere æstus intestinorum compescatur.

℞. *Furfur. macr. & hord. integr. ana m. sem. semin. lin. unc. j. liquirit. ras. & contus. dr. ij. coq. in aq. fontan. s. q. in colatur. unc. iij. dissolv. mell. violac. unc. j. ol. amigdalar. dulc. unc. ij. f. clyster.*

Abdomen cum decocto plantarum emollientium fovere utile erit, ut sic omni ex parte inflammationi imminenti occurratur. Hora somni sequens julepus exhibebitur.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. lactuc. & portulac. ana unc. j. corall. rubr. præparat. ſcrup. j. ſyrup. papaver. alb. dr. ij. capiat.*

Si his alvi fluxus non remittatur, & febris adhuc perſeveret, aut, quæ non erat, jamjam invaſerit, iterabitur ſanguinis miſſio, & clyſter frequenter injicietur ut ſupra, vel alter ad uſum ſic parabitur.

℞. *Lact. vaccin. & decoct. hord. ana unc. iij. diſſolv. ovor. vitell. num. ij. ol. amygdalar. dulc. ſine igne parat. unc. ij. f. clyſter.*

Exhibebitur quoque julapium cum narcotico, cujus doſim augere neceſſe erit, ſi ſomnum antea non conciliaverit; ſi æger lactens ſit, ſemel aut bis in die coralli præparati ſcrupulum unum exhibere convenit, quibus morbo mitigato, purgatio celebrabitur.

℞. *Mann. calabrin. & ſyrup. de cichor. compoſit. ana unc. j. diſſolv. in aq. cichor. unc. iij. dilue rhabarb. pulverat. ſcrup. j. capiat.*

Celebrata purgatione bis in die corallum ad ſcrupulum unum vel drachmam ſemiſſem adhibere convenit, clyſteres repetendi, narcotica quoque hora ſomni exhibenda; quibus irritis & morbo cum eadem vehementia perſeverante, aliquot grana ypecacuanhæ præſcribentur, juxta ætatem ægri. Si puer ſit quatuor aut quinque annos natus, grana quatuor aut quinque; ſi junior, tria tantum; lactentibus quoque minima doſi exhiberi poterit, quæ tametſi vomitum aut ſeceſſum non pariat, ſtomachum tamen corroborat & vegetum facit: ſi hæc adhuc non proſint, & febre lenta & macie

puer correptus ad ultima fata tendat, lac muliebre ipſi præſcribere oportet, aut ſi nolit mammam fugere, caprillum, vel vaccinum cum decocto hordei ebutyratum exhibebitur, quo pueros alvi fluxu pertinaciſſimo laborantes irritis aliis auxiliis curavi.

CAPUT XIX.

De Lumbricis.

LUmbrici adeo frequenter in pueris generantur, ut pluries abſque ullo affectu inſignis lumbricorum copia ab ipſis excreta fuerit: horum generationi favet debilis eorum ſtomachus, qui cibos male digerens, putredinem aggerit, e qua vermes naſcuntur; & tametſi putredo in ſtomacho adultorum ſat frequenter congeratur, rarius tamen adulti vermes generant, quia reliquiæ chylificationis depravatæ fortius cum bile in adultis quam in pueris luctant; unde ovorum, e quibus naſcuntur vermes, diſſolutio.

Quandoquidem vermes non a putredine fieri, ſed ab ovis eorum rudimenta continentibus certiſſimis rationum momentis conſtat, ex eo quoque fit, ut lactentes lumbricos non generent, niſi prius cibos aſſumpſerint. Etenim dum ſolo lacte veſcuntur, ova vermes continentia in ſe non habent: quapropter quæcumque putredo in eorum ſtomacho fiat, nulli tamen vermes prodibunt; lac enim quod ſugunt in mammis nutricis e ſanguine ſecretum ex ipſis immediate ad os derivatur, nulla ſuſcepta alteratione; non mirum igitur ſi quandiu lacte tantum veſcuntur, lumbricis obnoxii minime ſint; verum utprimum cibis aliis utuntur, ut

ut offis, panatellis, aliisque similibus, ova vermium cum ipsis ingerunt vermes facta putredine genitura, & licet chylus in nutrice e cibis elicitus, ovis vermium immunis absolute dici non possit, attamen lac quo vescitur infans, his ovis minime inquinatur, cum lac chylus sit in mammis secretus, & colum ova arcere queat, inutile est ut causas congerere valentes ibi recensеamus, cum superius de hoc satis actum fuit, dum de vomitu & alvi fluxu.

DIAGNOSIS.

Vermes in primis viis latere significant levis horror & calor sese mutuo excipientes, pruritus narium, halitus acidi ex ore exeuntes, morsus in abdomine facti, excreta per anum argillosa, urinæ tenues & crudæ, quæ quoniam a materia in primis viis putrescente fieri possunt, idcirco signa æquivoca sunt, nec certissime in pueris latere significant; quapropter unicum est signum vermium certissimum, eorum scilicet supra vel infra excretio. Latus vermis nunquam fuit observatus in infantibus; Cucurbitini raro illos infestant; Ascarides quoque non sæpe ipsos afficiunt; sæpissime vero Teretibus laborant.

PROGNOSIS.

Vermes per se læsam ciborum digestionem significant, nec grave portendunt periculum, nisi materia putrida e qua generantur, sanguinem inquinaverit, quæ febres gravissimas parere potest: quapropter prognosis tunc petitur a symptomatibus quæ vermes sequuntur, & ideo non semel pueros vidi incredibilem vermium copiam excernentes absque ullo morbo, quoniam materia putri-

trida eos generans ſanguinem non inquinabat, cum e contra aliquoties paucis excretis vermibus, graviſſimi oriebantur morbi.

CURATIO.

Quæcumque vermes enecant, & putredini e qua generantur occurrunt, aut ipſam evacuant, curationem adimplent. Vermes autem enecant amara, incidentia, purgantia, oleoſa; horum generationi occurrunt ſtomachica, ubi adeſt vermium ſuſpicio, modice & cibis convenientibus puerum cibare oportet, & ſequentem potionem præſcribere.

℞. *Aq. portulac. unc. ij. aq. naph. unc. ſem. ſemin. contr. tenuiſſime pulverat. p. i. confect. de hyacinth. dr. ſem. ſal. abſinth. & pulver. viper. ana ſcrup. ſem. ſucc. limon. unc. ß. f. pot. partitis vicibus exhibenda.*

Clyſteres frequenter injicere utile erit, ne fordes morando in inteſtinis ulterius putreſcant; purgatio propinetur ſic.

℞. *Senn. mundat. dr. ſem. ſemin. contr. p. i. rhabarb. contuſ. dr. ſem. ſal. abſinth. ſcrup. ß. coq. in aq. fontan. ſ. q. in colatur. & expreſſ. unc. iv. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. & ſem. f. pot.*

Si deinde vermes puer adhuc excernat, bolus illi exhibebitur, ſi deglutire valeat; vel ſi junior ſit, pulvis parabitur ſic.

℞. *Aquil. alb. gr. xij. diagrid. gr. iv. capiat cum panatellæ cochleare.*

Vel

Vel ex eo bolus fiat cum ſyrupo de abſinthio, per aliquot dies pulvis vel bolus ſumetur, quibus elapſis purgatio iterum celebrabitur, & deinde puer bis in die per hebdomadam ſequenti infuſione utetur.

℞. *Kinkin. in alkool. redact. & rhabarb. contuſ. ana dr. j. ſemin. contr. pulverat. p. i. infunde per horam in aq. fervent. unc. viij. ſervetur ad uſum, ſumet qualibet vice unc. ij.*

Si puer vermibus obnoxius admodum ſit, ad eorum generationem præcavendam parabitur aqua mercurialis, ſeu mercurius in nodulo ſuſpenſus coquatur per aliquot horas in aqua, qua puer aliquoties qualibet die per aliquot hebdomadas utetur. Quæ vero a mulierculis abdomini admoventur, adeo inutilia cenſemus ad vermes enecandos, ut de his mentionem facere inutile credamus.

CAPUT XX.

De Alvi Conſtipatione.

PUeri dum lacte veſcuntur, frequenter alvum deponunt, ob humidam victus rationem, inteſtina illinientem & lubricantem; quoties igitur per aliquot dies raro aut nullatenus alvum deponunt, alvi conſtipatione laborant. Accidit autem hic morbus propter defectum irritationis quæ in inteſtinis fit, quoties alvus deponenda eſt; deficit vero hæc irritatio, vel quia inteſtina ſtimulum ſentire non poſſunt, vel quia materiæ per tractum fiſtulæ inteſtinalis provolutæ irritare capaces minime ſunt.

Primo modo fiet conſtipatio, ſi ſuperficies inteſtinorum humore pinguiori & viſcidiori obducatur, tunc cruſta villoſa denſior quam par eſt, vim ſtimuli obtundit, quapropter tunica nervea irritationem nullam ſentire poteſt; hic humor pinguis, & viſcidus e ſanguine derivatur in glandulis, quæ paſſim in inteſtinis occurrunt; ergo quæcunque ſanguinis lympham pinguem & viſcidam efficient, alvum remote conſtipabunt; verum ſanguinis lympham viſcidam nihil efficere poteſt præter cibum quo infans veſcitur; ergo ſi lac pinguius & viſcidius ſit, alvum conſtipare poterit; conſtipatio adhuc oriri poſſe videtur a reſolutione nervorum inteſtina perreptantium. Verum probabile non videtur tot nervos ſimul reſolvi, quin major labes œconomiæ animali inferatur. Interim nec alvi conſtipatio graviora mala affert niſi ſucceſſu temporis, & diu perſeverans.

Secundo modo fiet conſtipatio, ſi materia per fiſtulam inteſtinalem provoluta, ad irritandum idonea non ſit; quod accidit ob ejuſdem viſciditatem, vel nimiam ſiccitatem; ſi viſcidior ſit, inteſtinis applicata diu manebit, quin ipſa ad contractiones ſolliciter; cum partes bilis quæ ſolæ irritare poſſunt, in materia viſcida adeo intricentur, ut actionis minime ſint capaces; fit enim viſcidior hæc materia, dum lac aſſumptum viſcidius in ſtomacho non ſat diviſum bilem denſat, quæ inteſtina naturaliter irritat. Idem accidet ſi eruditates acidæ in ſtomacho latentes lac aſſumptum inſpiſſent, vel ſi lac ob ſtomachi vitium in materiam tenacem & viſcidam convertatur, qua bilis intricabitur. Demum ſi bilis ipſa in inteſtinis deficiat ob hepatis vitium, fiet quoque alvi conſtipatio; deficiente tunc ſtimulo, quo inteſtina ad contractiones edendas in ſtatu naturali ſollicitantur. Verum ſi alvinæ feces ſiccziores fiant, alvus

ægre

ægre deponetur; tum quia materiæ ſiccæ difficillime & lente per tractum inteſtinorum provolvuntur, cum ad irritandum idoneæ non ſint. Alvinas feces exſiccant lac calidum & ſalſum, vigiliæ, æſtus humorum nimius, mora nimia ſanguinis in partibus vicinis, febris, dolor colicus, a quibus ſerum humorum facile abſumitur, ſicque alvinæ feces induratæ ad motum & irritationem efficiendam aptæ nullatenus ſunt.

Quandoquidem alvo conſtipata excrementa in inteſtinis diu morari oportet, eorum quantitate & mole inteſtina diſtractionem patientur, quæ anxietates non leves infantibus afferet; hinc ſomnus interruptus & brevior; quoniam enim inteſtina excrementis repleta partes vicinas compriment, retardabitur ſanguinis motus in abdomine, fiet ventris intumeſcentia. Quoniam adhuc alvi conſtipatio chylificationem vitiat, aut læſam ſupponit, idcirco nutritione imminuta, conſtipatione perſeverante puer paulatim macie afficietur; verum ſi alvus aſtringatur a cauſa ſerum diſſipante, & inteſtina exſiccante, major dabitur humorum æſtus in abdomine; idcirco venter calidior erit, anxietates & vigiliæ graviores, ſiti æger cruciabitur, morboque aliquandiu perſeveranti febris adjungetur, & alvinæ feces interdum pauca quantitate ejectæ, ſiccæ & induratæ erunt, rectumque in tranſitu aſperitate ſua excoriabunt.

DIAGNOSIS.

Alvi aſtrictio facile dignoſcitur ſolo relatu infanti famulantium; an a materiæ viſciditate & ſiccitate fiat facile Medicus aſſequetur, attendendo ad illa quæ morbum ſequuntur; & præſertim lacte nutricis explorato. Si venter tumidus admodum caleat, ſi puer multum ſitiat, anxioſus & vi-

gil ſit, motuſque febrilis excitetur, & alvinæ feces induratæ ad inſtar fimi ovilis, lacque quo veſcitur infans calidum ſalſumque ſit, ob ſiccitatem inteſtinorum alvum fuiſſe aſtrictam certo declaratur: e contra ſi lac viſcidum ſit, puer halitus acidos ex ore emittat, non ſitiat, nec prætermodum caleat, venter tumeat abſque æſtu, excreta per anum viſcida & argilloſa ſint, a nimia viſciditate materiæ in inteſtinis contentæ alvum conſtipatam ſuiſſe convincitur.

PROGNOSIS.

Alvo aſtricta, pueri tormina, ſitim, vigilias, anxietates & febrem patiuntur. Herniam ſæpe parit conſtipatio, quia inteſtina materiis repleta pondere ſuo annulos abdominis dilatant; alvi aſtrictio chylificationi nocet, quia ſordes in inteſtinis diu morantes chylum inquinant; hinc mala nutritio ſanguinis motum in abdomine ſiſtit, unde viſcerum æſtus, & febris ſæpe oriuntur. Gravior eſt alvi aſtrictio quæ a ſiccitate inteſtinorum fit, quam dum a materia viſcida producitur, quia cauſa ſerum in inteſtinis abſumens citius febrem accendit, & corpus emaciat, majuſque periculum inflammationis affert; ſi alvo aſtricta, febris accendatur, cave ne humores in cerebrum ruant; hinc ſopor aut delirium, quia impedito ſanguinis motu in abdomine, major cruoris copia ad aortam aſcendentem determinatur.

CURATIO.

Quoniam a ſiccitate & viſciditate materiæ in inteſtinis contentæ alvus conſtringitur, idcirco huic varie mederi oportet. Si ſiccitas cauſa conſtipationis ſit, lacte mutato, ſi calidum aut ſalſum-

ſue

fuerit, vel temperata nutrice refrigerantibus & humectantibus, ut lac tenuis aquoſiuſque fiat, clyſter ſequens injiciatur.

℞. *Decoct. hord. & lact. caprill. ana unc. iv. ol. amygdalar. dulc. ſine igne parat. unc. j. f. clyſter.*

Abdomen lacte vel decocto plantarum emollientium fovere oportet. Sequens julepus hora ſomni parabitur.

℞. *Aq. lactuc. & portulac. ana unc. ij. ſyrup. papaver. alb. dr. ij. capiat.*

Si infans junior ſit, doſis ſyrupi minuatur; his ita per aliquot dies factis ſordes inteſtinorum expurgandæ ſunt purgantium ope; quapropter clyſteri ſupra præſcripto addetur medullæ caſſiæ uncia ſemiſſis vel uncia una; ſi puer ſit anniculus aut ultra annum provectus, purgatio ſequens præſcribetur.

℞. *Pulp. caſſ. recenter e cann. extract. dr. v. ſemin. lin. & flor. malv. ana p. j. coq. leviter in aq. fontan. unc. vj. coletur pro duplici doſi, in prima diſſol. mann. calabrin. dr. vj. vel unc. j. capiat.*

Celebrata purgatione, clyſteres emollientes & narcotica iterare oportet, donec alvus facile deponatur. Verum ſi viſciditas materiæ alvum aſtringat, incidere & evacuare magis convenit; lacque ſeligere tenue & aquoſum; clyſter ſic parabitur.

℞. *Decoct. clyſter. commun. refrigerant. & laxant.*

xant. unc. vj. dissolv. catholic. unc. sem. mell. viol. unc. j. f. clyster.

Deinde purgatio celebrabitur sic.

℞. *Senn. mundat. & rhabarb. contus. ana dr. sem. semin. contr. p. j. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. dissolv. mann. calabr. unc. j. f. potio.*

Altera die bis aut ter exhibebitur sequens decoctum.

℞. *Kin. kin. in alkool. redact. dr. j. rhabarb. pulverat. dr. sem. sal. absinth. scrup. j. coq. leviter in aq. fontan. unc. vj. servetur ad usum.*

Si ab his alvus non sufficienter solvatur, clysterem iterare oportet; vel suppositorium in anum immittere, & purgationem iterum celebrare; quibus ita factis, si alvi constipatio perseveret, & excreta argillosa hepatis aliqualem obstructionem indicent, aut halitus acidi ex ore continuo exeant, sequens pulvis parabitur.

℞. *Croc. mart. aperient. gr. vj. rhabarb. pulverat. gr. x. sal. absinth. gr. v. diagrid. gr. iij. f. pulvis.*

Continuabitur per aliquot dies, quo finito, puer iterum purgabitur & suppositorium quotidie in anum immittetur, donec alvus libera facta fuerit.

CA-

CAPUT XXI.

De Ani Procidentia.

ACcidit frequenter pueris ut poſt alvi depoſitionem recti extremitas extra anum remaneat, tumida admodum, abſque tamen inflammatione; quæ in ſuum locum repoſita rariſſime iterum ex ſe excidit, ſed redeunte alvi depoſitione. Hæc quidem moles carnea, quæ videtur, non eſt tota recti ſubſtantia; ſed præſertim membrana ejus interna ſeroſitatibus emollita, tumidaque nimis, quod ſatis evincitur ex eo quo[illegible] aliquando ſuppurata amputetur.

Quoniam vero ad podicem ſeroſitates undique confluunt, tum per cavitatem fiſtulæ inteſtinalis, tum per glandulas, quæ ibi copioſæ ſunt; & membranam recti internam, & ſphincterem multum laxari & emolliri oportet; quo fit ut hæc membrana tumida nimis fiat, & ſphincter ani eam vix in ſitu retinere poſſit; unde aperto ſphinctere, hæc membrana excidit, quæque nequaquam retrahi poteſt. Hujus prolapſui favet ſubſtantia oſſis coxigis nondum indurata, quæ, ſoliditatis defectu, membranam tumidam ſuſtinere ſufficienter non valet.

Aniprocidentiam pariunt frequentiores alvi depoſitiones, quibus ſphincteris tonus infirmatur, & humores uberius ad rectum confluunt propter irritationem frequentius ibi factam; ſic teneſmus, dyſenteria, diarrhæa frequentes ſunt hujus affectus cauſæ: huic producendo concurrit conſtitutio puerorum humidior, & mollis, atque tenera nimis ſolidorum compoſitio. Raro periculum affert is morbus; etenim ſicuti cognitu facilis eſt, cum oculis ſubjiciatur, ita & curatu non difficilis; niſi reme-

dia

dia fortiora intempeſtive adhibeantur, aut tumor durius tractetur, aut ab infantibus gravius comprimatur, dum ſedent aut currunt. Aliquando tamen ad annos extenditur, dum a vitioſa & cachectica conſtitutione ſovetur, aut puer ob ſtomachi debilitatem aliamve cauſam diarrhæa frequenter corripitur; ſi tumor extra anum prodiens inflammetur, aut ſuppuretur, tunc morbus gravior eſt, & niſi pars ſuppurata cito ſanetur febrem hecticam parit, inflammatio vero difficilem & impoſſibilem fere dejectionem efficit; hinc febris accenditur, & inflammatio partibus internis communicatur.

Quoniam ani procidentia eſt morbus in ſitu, ideo ſtatim partem prolapſam reponere oportet; poſtea repoſitam continere, & tandem cauſam prolapſum ſoventem debellare. Repoſitio facilis admodum eſt, niſi pars prolapſa tumida aut inflammata repoſitionem accipere recuſet.

Verum antequam in ſitu reponatur, eam fovere vino tepido oportet, tum ad ſordes ejus auferendas, tum ad ipſam corroborandam, poſtea digitis leniter comprimatur intus, & paulatim in anum repellatur; repoſita contineri poterit penicillo expreſſo e vino rubro tepido, faſciis recto impoſitis, ut ſic in ſitu debito firmetur; vel ſequens parabitur decoctum, quo pars prolapſa fovebitur, & penicillum imbuetur.

℞. *Nuc. gallar. par. iv. balauſtior. par. iij. malicor. contuſ. dr. iij. alumin. rup. unc. ſem. coq. in aq. fontan. & vin. rubr. ana unc. x. ſub fin. coction. adde roſar. rubrar. m. j. ſ. decoctum.*

Si pars prolapſa tumida nimis aut inflammata ſit, ſanguis mittetur, & ſæpius pars cum vino fovebitur, donec diſcuſſo tumore, pars reponi poſſit; verum quoniam puer alvum quotidie deponere cogi-

gitur, ideo pars repoſita iterum quoque prolabitur, quæ ſtatim ab alvi depoſitione reponetur. Verum ſi pars prolapſa ſuppuratione afficiatur, aut ſphacelo tentetur, eam amputare oportet, & unguentis appoſitis ſanare, ut in operatione hæmorrhoidum fieri ſolet. Si humiditatibus turgida admodum ſit, eas diſcutere oportet reſolventibus exſiccantibus; tunc nihil aquæ calcis, aur aquarum bellilucanarum fotu præſtantius, quibus pars pluries foveri poterit, ut ſeroſitates diſcutiantur, & tonus fibrarum carnearum reſtituatur.

Verum hæc prorſus inutilia forent, niſi cauſa fovens prolapſum expelleretur, idcirco quoniam vel ab humiditatibus copioſe ad anum fluentibus, vel a frequentiori alvi depoſitione affectus producitur, ſtomachica & ſanguinem exſiccantia præſcribere tutiſſimum erit; purgantibus autem inſiſtere minime convenit, cum frequentiores alvi depoſitiones morbum producant, ſequens paretur potio per aliquot dies ſumenda.

℞. *Syrup. de abſinth. & cichor. compoſit. ana unc. j. rhabarb. pulverat. gr. xij. capiat mane.*

Si hoc remedium alvum frequenter ſolliciter, aliud parabitur ſic.

℞. *Infuſ. kin. kin. unc. ij. corall. præparat. gr. xij. m. capiat bis in die.*

Utile quoque erit, ut puer utatur pro potu ordinario infuſione ſequenti.

℞. *Rh. contuſ. dram. ſem. cinnam. contuſ. ſcrup. ſem. in nodul. incluſ. infund. in aq. fontan. ſ. q. ad uſum.*

Verum ſi his ſeroſitates non ſatis diſcutiantur, puer purgabitur ſic.

℞. *Senn. mundat. dram. j. rh. contuſ. dram. ſem. ſemin. contr. & aniſ. ana p. j. coq. in aq. fontan. unc. iv. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. & ſyrup. flor. perſicor. ana unc. j. f. potio.*

Deinde ſequens parabitur pulvis per aliquot dies ſumendus.

℞. *Croc. mart. aperient. rore maji præparat. gr. viij. rhabarb. & corall. rubr. præparat. ana ſcrup. ſem. cinnam. pulverat. gr. v. f. pulvis cum cochlear. juſcul. ſumendus.*

CAPUT XXII.

De Urinæ Incontinentia.

RArius de die, ſæpius de nocte pueris accidit urinæ incontinentia; quoniam enim ſphincter veſicæ muſculus eſt contractione continua ſruens, & collum veſicæ arcte ſtringens, ideo urinæ incontinentia ab illius muſculi debilitate manifeſte deducitur. Laxo enim ſphincktere collum veſicæ aperiri neceſſum eſt, igitur urina ex ureteribus ſtillans in veſica non remorabitur, ſed per orificium patens, excernetur. Laxant autem ſphincterum morbi prægreſſi hanc partem afficientes, ut calculus veſicæ, prægreſſa ejuſdem inflammatio, violenta catheteris in veſicam intromiſſio, quibus hujus muſculi tonus auferri poteſt. Verum abſque ullo morbo prægreſſo in pueris urinæ incontinentia fit: quoniam enim fibræ carneæ teneræ & molles admodum

ſunt in hac ætate, & ſanguinis conſtitutio aquoſior, his quoque fit, ut fibræ carneæ hujus muſculi in orbem diſpoſitæ vim contractivam ſufficientem non habeant (vim etenim elaſticam corporum mollium minimam eſſe experientia docet) hinc quo pueri humidiores, eo facilius urinam citra voluntatis actum excernunt, quia ſerum in ſanguine luxurians partes muſculoſas emollit atque relaxat.

Quoniam vero de nocte minus viget ſanguinis inteſtinus motus, lentiuſque per partes provolvitur, & nervi e cerebro & medulla ſpinali oriundi tenſionem amittunt; hinc contractionis minor in illis partibus muſculoſis; unde major ſphincteris laxitas de nocte & ſomno vigente; tunc tono fibrarum languente, vis earum elaſtica remittitur, collumque veſicæ de die clauſum, de nocte aperitur; major vero arguitur ejuſdem muſculi debilitas, dum per vigiliam urinæ incontinentiam patitur.

Hunc morbum pariunt cruditates acidæ ſanguinem inſpiſſantes, potus nimius horis præſertim ſerotinis, quibus muſculi nimis humidi & molles evadunt, ætas præſertim tenera cauſa communis & frequentior eſt, cum in tenera ætate fibræ muſculorum ſoliditatem ſufficientem non habeant, ut contractione requiſita fruantur, & ideo morbus hic ſola ætatis mutatione curatur, quia fibræ tonum firmiorem acquirentes, majori vi elaſtica pollent.

Nec periculum pueris affert urinæ incontinentia; præſertim ſi de nocte tantum fiat; & maxima curationis ſpes eſt, cum creſcente ætate evaneſcat: verum ſi morbi prægreſſi veſicam afficientis effectus ſit, difficilius ſanatur, cum labes major in ſphinctere tunc ſupponatur; facilius in pueris debite conſtitutus, tardius & difficilius in humidis expellitur; ſi affectus ſoporoſos ſequatur, & ſimul aliorum muſculorum reſolutio ſeu paralyſis ſit, difficillime depellitur, quia a nervis reſolutis & para-

ra-

ralyticis oritur, quod nervorum vitium ægre tollitur.

Hic affectus curatur utplurimum mutatione ætatis; attamen cum sat incommodi affert, acceleranda ejus curatio sphincterem exsiccando, & illius tonum firmando, quod fiet humiditates sanguinis absumendo & cruditates acidas destruendo; confert igitur puerum exercere, eum cibis exsiccantibus alere, a somno longiori eum depellere, & præsertim identidem purgare, cum purgantia sanguinis serositates per anum detrudant; sequens parari potest potio purgans.

℞. *Senn. mundat. dr. i. rhabarb. contus. dr. sem. semin. coriandr. & summitat. absinth. minor. ana p. j. coq. in aq. fontan. unc. iv. in colatur. dissolv. mann. calabrin. unc. j. m. f. potio.*

Si puer junior, & recens ablactatus sit, minuetur purgantium dosis: celebrata purgatione syrupus de absinthio per aliquot dies præscribetur, & postea iterata purgatione, sequens exhibebitur pulvis per octo, aut novem dies.

℞. *Croc. mart. aperient. gr. vj. rhabarb. pulverat. scrup. sem. sal. absinth. & cinnamom. ana gr. vj. jalap. & diagred. ana gr. iij. f. pulvis pro unica dosi.*

A potu & cibis humidis, crudis præsertim & acidis abstinendum est, ne ab his sanguis aquosior fiat & sphincter vesicæ relaxetur. Confert etiam exterius regionem vesicæ inungere oleo ruthæ, lauri, scorpionum Mathioli, Philosophorum, aliisque similis virtutis humiditates sphincterem laxantes absumentibus; sed præsertim mira præstat aqua-

rum

rum thermalium ſemicupium: quapropter aliquoties purgatum ægrum ad aquas thermales mittere oportet, ſi anni tempeſtas permittat.

CAPUT XXIII.

De Calculo veſicæ urinariæ.

PUeris non raro accidit, ut calculo veſicæ laborent; præſertim ſi male fuerint lactati, vel cibis uſi fuerint crudis, viſcidis & ad coctionem non idoneis; hinc pueri ab obſcuris parentibus nati ſæpius, divitum vero proles rariſſime calculo laborant, quoniam enim cibi viſcidi, & coctu difficiles chylum ſimilis indolis pariunt, a quo ſanguis vapidus, craſſuſque generatur, ex ex eo quoque oportet ut infans male lactatus facilius calculo laboret.

Rurſus quoniam ſtomachus puerorum vegetus multum non eſt, igitur parum idoneus ad cibos craſſos atterendos & debite ſubigendos, quo fiet ut ſanguis eorum vapidus tartareuſque fiat; quapropter urina plures & copioſas ſecum rapit partes tartareas viſcidaſque, quarum intima unio fiet in veſica urinaria, facta aliquali ibi urinæ mora; neque enim aliter generatur calculus, niſi ab abundantia partium tartarearum, quas urina ſecum ad veſicam rapit, quæque ibi morantes materia viſcida ligantur, fortiterque nectuntur; quoniam vero pueri divitum cibis melioribus aluntur, qui in ſtomacho melius cocti, ſanguinem tenuiorem & melioris indolis efficiunt, hinc quoque fit, ut pueri divitum raro, pauperum vero ſæpius calculo laborent.

DIAGNOSIS.

Calculus intus in vesica latens his signis declaratur: puer sæpe guttatim & cum dolore mingit pruritum in extremitate glandis percipit, partes genitales sæpius scalpit; frequens est penis erectio; urina turbida, opaca, tartaro multo inquinata sæpe excernitur; quæ æquivoca adhuc sunt, & ideo certius est catheterem intromittere in vesicam, quo calculus latens tangetur. In initio mitiora sunt symptomata, quæ successu temporis ingravescunt, quia calculus incipiens minor adhuc est, quam durius vesicam afficere possit; verum quoniam urina quæ continuo e renibus ad vesicam fluit, partibus tartareis gravidatur, crescit etiam successive calculus facta additione partium tartarearum, tuncque grandior gravius vesicam afficit: hinc dolor & urinæ suppressio, constricto propter irritationem vesicæ collo, qui ad glandem refertur, ob nervorum continuitatem; hinc quoque pruritus partium genitalium, & penis erectio, quoniam calculus vesicam irritans liquidum nervorum uberius e cerebro ad partes vicinas determinat.

PROGNOSIS.

Calculus morbum constituit gravissimum, quia aliter quam operatione chirurgica e vesica extrahi non potest; neque enim reperientur remedia tantæ virtutis, quæ ipsum minutim atterere & expellere valeant: verum præterquam quod lithotomia sine magno periculo fieri nequit; ætas præterea puerorum tenera eam differre nos sæpe cogit, sed calculus in vesica latens incrementum adeo subito nunquam acquirit, ut graviter vesicam irritans inflammet, vel ejusdem suppurationem promoveat, aut sanguis puerorum ad febrem contraheudam pronus

nus, tot adeoque vividis doloribus commotus febrem contrahit; unde mala graviſſima huic morbo adduntur.

CURATIO.

Si puer adhuc junior ſit quam ut operationem ferre valeat, eam differre oportet ad annum ſextum, ſeptimum vel octavum; tumque cibis optimi ſucci & facilis coctionis cibabitur, modice tamen, ſed confert adhuc alvum frequenter emollire ſequenti clyſtere.

℞. *Decoct. fol. malv. & parietar. unc. vj. diſſolv. lenitiv. unc. i. ol. commun. vel amygdalar. dulc. ſine igne parat. unc. i. ſ. clyſter.*

Purgabitur ſic.

℞. *Senn. mundat. ſcrup. ij. rhabarb. contuſ. dram. ſem. ſemin. lin. p. i. coq. in aq. fontan. ſ. q. ſub fin. coction. add. flor. malv. p. ij. in colatur. & expreſſ. unc. vj. diſſolv. mann. calabrin. unc. j. ſ. potio.*

Juſcula quoque pullorum refrigerantia, vel cremores oryzæ cum eodem juſculo parati conveniunt, ut omnis ſanguinis & humorum tollatur acrimonia; imo lac, ſi puer ſiccus & macilentus ſit, præſcribere neceſſe eſt. Verum ſi dolor & urinæ difficultas adeo graviter puerum afficiant, ut proximum inflammationis periculum veſicæ immineat ſanguinem mittere oportet, ſemicupium adhibere, quibus irritatione pacata, inflammationis avertatur periculum.

Si puer ſit ætatis ſat provectæ, ut lithotomia inſtitui poſſit, præmiſſis venæ ſectionibus purgabi-

tur, deinde cremores oryzæ, vel juſcula pullorum refrigerantia per novem dies ſumentur, quibus elapſis, ſanguine iterum miſſo, ægroque repurgato operatio fiet, quæ ſemper vere & autumno celebratur.

CAPUT XXIV.

De Intertrigine.

INtertrigo puerorum rubor eſt inſignis partium ano adjacentium, coxarum, perinæi, ſcroti, aliarumque in vicinia ani poſitarum; rubori dolor adjungitur, ſæpeque pelle affectæ partes denudantur, hincque graves naſcuntur anxietates, dolorque ferme aſſiduus, propter irritationem, vigilias, marcorem, & febrem parit; rariſſime intertrigo ſuppurationem producit, niſi maxima nutricis negligentia id fiat; infantes macilentos raro, obeſos ſæpius aggreditur.

Intertriginem pariunt urina, & alvinæ feces acriores; quoniam enim lactens pannis involvitur, in quibus urinam, & feces deponit, ſi hæc excrementa acriora ſint, cum diu partibus ano vicinis applicata maneant, eas irritabunt, ſed tametſi excrementa acria multum non ſint, ſi ſordes quas relinquunt, non detergantur, & raro induſia mutentur, acrimoniam mora obtinebunt; quoniam ſales eorum calore exaltati ad irritandum potentes evadunt; demum ſi induſia, quibus pueri veſtiuntur, rigidiora ſint, partes pungere & graviter confricare poterunt, unde intertrigo naſcetur.

Urinam autem & alvinas feces acriores efficit lac ſalſum, calidumve, aut lue quadam inquinatum, quo pueri aluntur; ſic ſi nutrix, vinum aut liquores ardentes epotet, ſi cibis ſalſis & piperatis uta-

utatur, ſi animi pathematis vehementioribus detineatur, ſi venerem ardenter appetat, aut ſæpius expleat, nimis ſe exerceat, ſi curis aut ſollicitudinibus detineatur, intertrigine lactens facile corripi poterit; demum ſi lactens morbo detineatur aut fuerit detentus, quo balſamum ſanguinis abſumitur, aut ſales nimis exaltantur, intertrigo accidit.

Verum a quacumque cauſa partes ano vicinæ irritatæ fuerint, oportet ut propter irritationem humores ad eas uberius appellant, unde ſequitur vaſorum nimia expletio, qua ſcilicet facta, interrumpitur motus ſanguinis circularis, unde vehementia & rareſcentia nimia ſanguinis: quoniam vero quo vaſa magis tenduntur, eo ad ſenſationem aptiora fiunt, erit igitur ſenſus in partibus intertrigine laborantibus adeo exquiſitus, ut irritatio earum dolorem maximum efficiat, quo humores in partibus magis commoti, majorem ruborem & tenſionem pariunt, quam tanta cutis diſtractio ſequitur, ut findatur.

DIAGNOSIS.

Intertrigo cognitu facillima; rubor partis affectæ morbum detegit: an a lactis vitio, vel nutricis negligentia, aut morbo prægreſſo producta fuerit, facile cognoſci poteſt.

PROGNOSIS.

Quo plures afficit partes, & rubor major eſt, eo gravior, quanquam periculo careat, niſi ſuppurationem producat; quam macies ſequitur, vel alicujus morbi ſymptoma eſt, gravior eſt ea quam cauſa interna peperit: verum tametſi periculoſa ut plurimum non ſit intertrigo, non tamen deſpicienda,

da, ne exulcerationem afferat, aut febrem propter dolores & vigilias intendat.

CURATIO.

Nec curatu difficilis eſt hic morbus; duo ſtatim facienda, quibus ſæpiſſime ſanatur: lac nutricis temperare & refrigerare, vel ſi calidum, ſalſumve ſit, mutare oportet, & linteamina quibus infans involvitur ſæpius mutanda, ne urina & alvinæ feces malum intendant; partes affectæ ſæpe abſtergendæ ſunt: his utplurimum urinæ & ſecum acrimonia tollitur, & irritatio evaneſcit. Verum ſi intertrigo poſt hæc perſeveret, aut rubor partis affectæ intenſus adeo ſit, ut periculum exulcerationis immineat, tunc partem rubore conſperſam ſequenti linimento linire oportet.

℞. *Ol. commun. & aq. fontan. ana partes æquales, ſimul agitentur donec coiverint ſimul, & unguenti conſiſtentiam aquiſiverint, quo pars affecta inungatur.*

Facto litu, linteum molle imponetur, & pluries litus repetatur, præſertim quoties lactens urinam aut feces excreverit: ſi irritatio & rubor his non remittatur, pars abſtergatur vino rubro in quo roſæ rubræ infuſæ fuerint; facta abſterſione pulvis ſequens imponetur.

℞. *Tuth. præparat. & ceruſ. pulverat. ana part. æquales, ſerva ad uſum.*

Si neque his rubor & irritatio remittatur, lacte partem ſæpius fovere confert, donec imminutis dolore & irritatione, pulveris jam præſcripti uſus convenire poſſit. Verum ſi propter maximam excre-

crementorum acrimoniam, partes affectæ findantur & exulcerentur, tunc imponetur unguentum de lithargyro, vel pompholigos, facta prius lotione cum vino, aut aquis belllilucanis, vel aqua sequenti quæ dolorem efficaciter sedat.

℞. *Aq. secund. calc. unc. iv. sal. saturn. unc. sem. misce.*

Sed si exulceratio profundior sit, & carnes depascat, parabitur sequens unguentum.

℞. *Balsam. Arcæi unc. iv. ol. hyperic. & cvir. ana unc. ij. butyr. recent. s. q. fiat unguentum.*

In hoc casu aquæ bellilucanæ vino præstantiores sunt, ut in puero expertus sum. Purgatio raro celebrabitur, nisi cruditates in stomacho latentes coctionem lædant, & totius corporis reparationi noceant, sed diæta humectans, refrigerans, & incrassans necessaria admodum est per totum morbi decursum; si purgationi sit locus, sic celebrabitur.

℞. *Senn. mundat. dr. i. semin. lin. & flor. malv. p. i. coq. in decoct. hord. unc. iv. in colatur. & express. dissolv. mann. calabrin. unc. i. & sem. f. potio.*

CAPUT XXV.

De Hernia.

HErnia tumor est ab intestino vel epiploo, aut utroque simul, per annulos abdominis, ex abdomine exeuntibus factus.

Dividitur in completam & incompletam; completa dicitur dum inteſtinum aut epiploon ad ſcrotum delabitur: incompleta vero, dum tumor eſt in ultimo abdominis annulo, id eſt, in inguine; ſi ſolum inteſtinum prolabitur, *enterocele*, ſi epiploon, *epiplocele*; ſi utrumque ſimul, *enteroepiplocele* dicitur.

Quoniam vero annuli abdominis mira elegantia ordinati, peritonæo obducuntur, & veluti firmantur, ne inteſtina aut epiploon proprio pondere ad inferiora continuo ruerent; idcirco hernia nulla, ſeu ruptura fiet, niſi annuli muſculorum abdominis laxati magis pateant, & facilius cedant, & peritonæum aut rupturam, aut laxitatem inſignem patiatur; fiet ergo hernia ab his quæ muſculorum abdominis annulos ſimul & peritonæum dilatare poterunt.

Verum quoniam in clamore & ejulatu continuo diaphragma alternis vicibus valide contractum viſcera abdominis verſus inferiora pellit, & muſculos impenſe dilatari, ſeu elongari cogit, fiet ergo ut hac valida & repetita muſculorum elongatione annuli & peritonæum diſtractionem patiantur, & minus inteſtinis aut epiploo reſiſtere valeant.

Etenim quoniam inteſtina compreſſa ad ſe expandendum vim faciunt, violenter impetunt in muſculos abdominis, & jam annulos abdominis ob diſtractionem laxatos aperiunt; idem quoque fiet, ſi puer conatus maximos edat, tum ad pondus ferendum vel elevandum, vel ad currendum, vel ſaltandum, cum in quolibet horumce exercitiorum genere vehemens & prompta fiat diaphragmatis applanatio; fiet adhuc hernia ab alvi conſtipatione feces accumulante in inteſtinis, quorum pondere aggravata fortius agunt in annulos muſculorum abdominis, eoſque cedere cogunt: huic an-

annulorum laxitati inducendæ multum confert conſtitutio ſanguinis aquoſa, & humidior, laxior ſolidiorum compoſitio, victuſque humidus & aquoſus.

Verum a quacumque cauſa annuli abdominis & peritonæum laxata fuerint, inteſtinorum pondus & impetus ſuſtinere non valent; quapropter inteſtini portio primum annulum patentiorem ingreditur, & dein ſucceſſive ſecundum vel tertium dilatabit, donec viam ad ſcrotum ſibi fecerit; verum ſi tertius & infimus muſculorum annulus non facile cedat, ſed magis cauſæ dilatanti & laxanti reſiſtat, inteſtinum aut epiploon ultra progredi non poterit, tumorque in inguinibus apparebit; ſi inteſtinum ad ſcrotum perveniat, tumor erit molis inſignis, qui aliquando facile diſcutitur & manus preſſione evaneſcit, inteſtino, vel epiploo in abdomen repulſo, mox facillime prolapſuro.

DIAGNOSIS.

Hernia incompleta ſeu bubonocele caute a phlegmone diſtinguenda, ne gravem in curatione errorem Medicus cum ægrotantis periculo faciat; bubonocele ſubito utplurimum erumpit, abſque dolore, cuti concolor eſt, & annuli ultimi foramen replet; phlegmone vero paulatim crefcit cum calore, dolore, & rubore aliquo: phlegmone glandulas inguinum occupat, bubonocele ultimum abdominis annulum replet. Quam Medico utile ſit partium ſitum ex Anatomia noviſſe, ex eo evincitur; hinc Medici & Chirurgi imperiti bubonocelem ſæpe cum phlegmone confundunt maximo ægrorum detrimento.

Hernia completa tumor eſt ſcroti ab hydrocele caute diſtinguendus; hydrocele tumor eſt aquoſu & oppoſita luce diaphanus in ſcroto contentus

ne

nec ultra extenditur: hernia completa tumorem efficit qui in ſcroto non terminatur, ſed ad annulos abdominis inguina verſus extenditur, cum inteſtinum aut epiploon prolapſa ex annulis in ſcrotum deſcendant; ſi interocele ſit, tumor eſt durus & elaſticus, æqualis, facta compreſſione murmur flatuum percipitur. Si epiplocele ſit, tumor mollior & inæqualis percipitur, nec ullum a compreſſione murmur in illo fit; ex ſignorum complicatione entero-epiplocele declaratur.

PROGNOSIS.

Hernia facile in infantibus curatur, quia quotidie partium ſubſtantia nutritione firmatur; unde annuli abdominis molles & laxi firmitatem & vim ad reſiſtendum ſucceſſu temporis adipiſci poſſunt, ſecus in aduitis, quorum herniæ incurabiles utplurimum ſunt; nec tamen morbus deſpiciendus, quoniam enim alvinæ feces per partem inteſtini prolapſam prius moventur quam ad anum perveniant, in eis accumulari poterunt propter viam difficilem, cum inteſtinum prolapſum compreſſionem patiatur ab annulis abdominis idcirco feces præ mora exſiccatæ indurabuntur, & cavitatem inteſtinorum obturantes viam materiæ a retro ſequenti denegabunt, quæ pariter ibi congeſta, partem inteſtini prolapſam dilatabit, diſtrahet, atque irritabit, unde ipſius inflammatio, & paſſio iliaca conſequetur: rurſus ſi inteſtinum diutius in ſcroto prolapſum maneat, teſti adhærebit, ſicque reduci amplius non poterit, idcirco ubi primum morbus cognoſcitur, medelam ei ferre neceſſum eſt, ne vetuſtate gravis fiat.

CURATIO.

In eo curatio ponitur ut inteſtinum prolapſum in ſitu reponatur, & repoſitum detineatur. Primum fiet manus operatione; injecto prius clyſtere purgante, ne ſordes inteſtina replentes repoſitioni obſtent. Infante in dorſum reclinato, tumor molliter premitur, ſicque pars prolapſa verſus abdomen repellitur, donec tumor penitus evanuerit, verum ſi materiæ in inteſtino prolapſo contentæ duritie aut quantitate repoſitionem impediant, tumor oleo roſaceo illinietur, & cataplaſma emolliens ex radice althææ, foliis malvæ, violarum, parietariæ ad putrilaginem coctis, cum butyro & oleo mixtis imponetur, donec tumor mollior factus reponi poſſit. Si dolor aliquis adeſſet, ſanguis detraheretur, ſed diæta tenuis imprimis inſtitueretur, ne feces ulterius in inteſtinis genitæ operationi nocerent.

Inteſtinum repoſitum detinebitur emplaſtro pro rupturis annulis admoto, & ligatura molli, quæ ſpeciatim ad hoc opus in infantibus paratur. Si puer eſſet aliquot annorum, ligatura cum calibe pararetur; poſtea quietem æger teneat, a cantu, clamore, niſu, quovis alio violento exercitio ſe abſtineat, ne pars repoſita iterum prolabatur. Confert quoque alvum clyſteribus lubricare, & emollire, ne excrementa mora indurata ad conatus edendos infantem ſollicitent; eadem de cauſa cibis boni ſucci & facilis coctionis modice aſſumptis veſcetur, & identidem purgatio celebrabitur ſic.

℞. *Infuſ. ſenn. unc. iv. diſſolv. mann. calabrin. & ſyrup. roſar. pallidar. ana unc. i. f. potio.*

Si infans pituitoſus admodum ſit, utatur pro po-

potu ordinario infusione rhabarbari in aqua fontis, nec non pulvere sequenti per aliquot dies.

℞. *Croc. mart. aperient. gr. viij. rhabarb. pulverat. scrup. sem. jalap. pulverat. gr. v. capiat.*

Suadent Auctores annulos abdominis decocto astringente fovere; verum experientia pluries docuit emplastrum pro ruptura cum ligatura sufficere, cum plures iis sanatos viderim.

CAPUT XXVI.

De Hypochondriorum & Ventris Intumescentia.

LActentibus raro, ablactatis vero pueris frequenter accidit totum tumere abdomen absque dolore cum aliarum partium emaciatione, pedum & crurum inflatione, vultus pallore; languet appetitus, vires dejiciuntur, alvusque liberior more solito; dejectiones molles, argillosæ, fetidum spargunt odorem; febris quæ primis temporibus non erat, successu temporis emicat cum exacerbationibus, estque de genere lentarum; tumor vero abdominis mollis & compressionis capax aliquando est; durus vero & renitens nonnunquam, præsertim in hypochondriis.

Quandoquidem partes in abdomine contentæ molles & laxæ admodum sunt, pluribus venarum, ductuum lymphaticorum furculis constant; ex eo quoque satis patet, cur facta humorum visciditate, totum tumere debeat abdomen; etenim quoniam lentus est humorum motus in ipsis, congesti humores vasa dilatando, partium molem impen-

penſe augebunt; & quoniam venæ mezaraicæ rami ex inteſtinis exeuntes per mezenterii duplicaturam repunt, retardato ſanguinis motu propter infarctum, mezenterii venæ inteſtina irrigantes, ſanguine nimis turgidæ, calorem inteſtinorum adaugent, quo contentæ materiæ expanſæ, aerque præſertim magis dilatatus inteſtina tumida efficiunt; verum quoniam humores viſcidi lente per partium ſubſtantiam provoluti, paulatim in ipſis congeruntur, hinc tanta abdominis intumeſcentia abſque ulla inflammatione, nec non tumor eſt facile compreſſibilis, cum partes molles compreſſioni reſiſtere non valeant.

Verum ſi humores viſcidiores ſint, viſcerum vaſa obſtruent, & ſcirrum ſeu tumorem renitentem, & indolentem efficient, quia vaſa humoribus inſpiſſatis, & fluiditate penitus deſtitutis repleta, compleſſionem nullam ſinunt; & quoniam in utroque hypochondrio viſcus eſt inſigne, hepar nempe & lien, quæ ratione texturæ, & vaſorum componentium, facile obſtruuntur; tumor igitur magis ſenſibilis in utroque hypochondrio fiet.

Quoniam vero data humorum viſciditate ſanguis vaſa capillaria cutis difficile ſubit, ibique motus ejus ſiſtitur, erit quoque pallor faciei, & extremitatum intumeſcentia, cum ſanguis reluctante pondere difficile e pedibus aſcendat, ibique ſtagnans, vaſa fere emollit; rurſus quoniam e ſanguine craſſo recrementa vix derivari poſſunt, ſuccus ſtomachalis in ventriculo deficiet, ſicque appetitus ſenſatio minuetur, & aſſumptorum concoctio lædetur, hinc reparationis defectus, & partium emaciatio, cum virium proſtratione fiet; ſed & cruditates in primis viis congeruntur, quæ præ mora putreſcentes, per alvum frequenter & cum fetore dejiciuntur; ob hanc ſanguinis viſciditatem, fit ut colatoria minus patentia parcius admittant ea, quæ e ſanguine de-

pu-

purando continuo ſunt excernenda, & ſanguis viſcidus ſuccos quos a ſtomacho male præparatos accipit, ſufficienter dividere non poteſt, ut per cola aliquatenus obſtructa expurgari poſſint. Plura igitur in ſanguine congeruntur quæ motum ipſius intendere valent; hinc febris quæ primis temporibus non erat, ſucceſſu temporis emicat, paulatim ingraveſcens, facta paulatim pravorum ſuccorum in ſanguine deliteſcentium exaltatione. Hanc ventris intumeſcentiam prava victus ratio producit, & ideo pueros divitum raro, pauperum frequentiſſime aggreditur; ſimiliter lactentes nunquam afficit, quandiu lacte tantum probo veſcuntur; etenim quoniam ſtomachus puerorum nondum vegetus & robuſtus eſt, ideo coquere, ſeu debite ſubigere non poteſt cibos viſcidos & magna quantitate aſſumptos, unde chyli moleculæ craſſiores & crudæ a motu ſanguinis inteſtino non expanduntur, neque dividuntur; hinc humores a tali chylo viſcidi & parum fluidi fiunt, totaque humorum maſſa præternaturalem viſciditatem adipiſcitur; idem quoque fiet ſi lactans nimiam ciborum copiam ingerat, cum ſtomachus debilis eos concoquere minime poſſit, unde cruditates in eo aggeruntur, quibus lactis præparatio læditur; unde chylus crudus, viſcidus & acidus humores ſimilis indolis generat, præſertim ſi cibi aſſumpti coctionis non facilis ſint; demum lac pravum, craſſius & viſcidius hunc affectum pariet, ſic, ſi nutrix prægnans ſit, aut cibis pravis veſcatur, ut radicibus, oleribus, leguminibus, fructibus immaturis aliiſque hujuſmodi.

DIAGNOSIS.

Morbus iſte ſicut & cauſa a qua producitur, cognitu difficilis non eſt; nullo enim ſigno diagnoſtico eget, cum oculis ſubjiciatur.

PRO-

PROGNOSIS.

Recens facile ſanatur hic affectus, inveteratus difficile, præſertim ſi febris jamdiu invaſerit; cum autem tunc complicetur affectus, & ut plurimum emaciatus ſit æger, ſuppuratio partium in abdomine contentarum pertimeſcenda. Si abdomen compreſſum doleat, inflammationem & ſuppurationem partis dolentis ſignificat.

CURATIO.

Quandoquidem a læſa ciborum digeſtione, pravaque victus ratione hic affectus oritur, idcirco ſtatim & ante remediorum exhibitionem, diætam præſcribere oportet; ſi æger lactens ſit, ſolo lacte veſcatur, idque ſit probum, tenue, dulce & ad alendum idoneum: ſi vero puer ablactatus fuerit, offis panatellis cum juſculis carnium paratis, pauco pane, eoque albiſſimo utatur, a carnium uſu ſe abſtineat, quia difficile in puerorum ſtomacho coquuntur, modice tamen cibetur, ne quantitas ciborum coctioni noceat: pro potu utatur aqua fontana addito tantillo vini, vel opportunius erit infuſionem rhabarbari pro potu parare.

Diæta ſic præſcripta, remedia dein in hunc finem adhibere oportet, ut ſtomachi functio reſtituatur, obſtructiones referentur, & ſanguinis viſciditas auferatur, quæ purgantibus, ſtomachicis & aperientibus fieri poſſunt; paretur ſtatim potio purgans ſic pro puero quatuor annorum.

℞. *Senn. mundat. dr. j. rhabarb. contuſ. dr. ſem. ſal. abſinth. gr. xv. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. & ſyrupi de quinque radicibus ana unc. j. f. potio.*

Si

Si ſtomachus multa ſaburra repleretur, loco ſyrupi ponerentur tartari ſtibiati grana tria; verum ſi alvi profluvium adeſſet, ypepacuanhæ grana octo vel decem adhiberentur, & deinde ſtomachica, aliaque in alvi profluvio commendata uſurpanda, donec alvi profluvium ſanatum fuiſſet; celebrata purgatione, ſequens juſculum per dies octo ſumere poterit.

℞. *Radic. cichor. unc. j. bruſc. unc. ſem. rhabarb. contuſ. & in nodul. ſuſpenſ. ſcrup. j. coq. per horam unam in juſcul. cum pullo juniori, aut fruſtulo carnis vitulinæ; parato adde fol. cichor. m. ſem. chærefol. & ſummit. abſinth. minor. ana p. j. cinnamom. tantillum, bulliant per horæ quart. part. coletur & exprimatur, fiat juſculum.*

Verum quoniam pueri talia juſcula ægre ſumunt, ſequens paretur ſyrupus loco juſculi ſumendus.

℞. *Radic. bruſc. aſparag. fœnicul. & petroſel. ana unc. iij. radic. enul. campan. & gentian. ana unc. i. & ſem. rhabarb. contuſ. unc. ſem. limatur. ferr. rubigin. in nodul. ſuſpenſ. unc. ij. coq. in aq. fontan. lib. v. uſque ad quartæ part. conſumption. ſub fin. coction. add. fol. oriental. mundat. dr. vj. epithym. inciſ. unc. j. ſemin. coriandr. p. iij. coletur, & exprimatur cum ſacchar. alb. lib. iij. ovi albumin. clarificetur & coq. ad ſyrup. conſiſtent. doſis erit ab unc. j. ad unc. ij.*

Uſu juſculorum aut ſyrupi finito, puer iterum purgabitur, & deinde per octo dies ſumet mane jejuno ſtomacho pulverem ſequentem, ſu-

ſuperbibendo juſculum pulli foliis cichorei alteratum.

℞. *Croc. mart. aperient. & rhabarb. pulverat. ana ſcrup. ſem. ſal. abſinth. gr. vj. diagred. & cinnamom. gr. v. f. pulvis pro unica doſi.*

Aſſumpto pulvere per tempus notatum, puer iterum purgabitur, dein per quatuor aut quinque dies ſumet ſyrupi de cichoreo compoſiti, vel de abſinthio unciam unam; ſi his obſtructiones non referentur, & abdominis intumeſcentia adhuc perſeveret, puer purgabitur per menſem ſemel in hebdomada, & pro potu utetur ptiſana ſequenti.

℞. *Ferr. rubiginoſ. fruſtul. rhabarb. contuſ. in nodul. ſuſpenſ. ſcrup. j. infund. frigide in aq. font. ſ. q. ad uſum.*

CAPUT XXVII.

De Macie.

PUeri facile in maciem incidunt, quia ſanguinis ipſorum compages admodum debilis eſt ut facile ſolvi poſſit, & præ partium tenuitate ingentem diſſipationem humores patiuntur; idcirco ſal quod propter molem & ſoliditatem cæteris principiis difficilius diſſipatur, in ſanguine luxurians, maciem ſeu totius corporis emaciationem producit; ſalſuginoſus fit ſanguis; ſi lac quo infans veſcitur calidum & ſalſum ſit, maciem facile producit, cum maxima ſalium quantitas ſanguini continuo ſuppeditetur. Pariter ſi puer ablactatus, cibis ſalſis, piperatis, & exſiccantibus utatur, vel ſi vinum nimis epotet, macie detinebitur; fit quoque hic affectus

propter ſtomachi vitium, dum ciborum coctio nulla ferme in eo fit; etenim quoniam ſanguis puerorum continuo chyli adventu eget, ut corpus eorum poſſit accreſcere, læſa ciborum digeſtione, minima hujus humoris quantitas ſugeretur, unde nulla accretio; imo nec ſufficiens reparatio fit; conſumetur igitur balſamum ſanguinis, & lymphæ acredinem acquirens partes nutrire, nec reparare poterit. Puer adhuc emaciabitur poſt morbos graviſſimos balſamum ſanguinis abſumentes, & ſanguinis compagem plurimum ſolventes; ſic variolæ, dyſenteria, febres diu affligentes, poſt ſe maciem utplurimum relinquunt. Ab his quidem macies puerorum frequentius producitur; accidit tamen ab aliis cauſis, quæ eam in adultis efficiunt, ut a ciborum penuria, partium internarum ſuppuratione, & exulceratione, viſcerum inveterata obſtructione.

Quandoquidem macies conſtitutionem humorum ſalſuginoſam ſupponit, & cauſa eam producens humores ſalſuginoſos efficit; ſanguis igitur puerorum macie laborantium, ad nutritionem parum idoneus erit, nec deperditionem partium reparare poterit; hinc marcor ſeu emaciatio corporis; & quoniam lympha qualitatem balſamicam amiſit, vaſa vix irrigare & humectare poterit, unde vaſorum ariditas, & excorrugatio maciem conſequitur. Rurſus quoniam major fit deperditio quam reparatio, minima conſequenter dabitur humorum moles, minor adhuc pinguedinis copia: aderit igitur tanta partium carnoſarum conſumptio, ut totum corpus oſſibus & cute quaſi conſtare videatur; hinc undequaque oſſa eminebunt, rugoſa & pariter ubique pellis erit; verum ſuppoſita humorum conſtitutione ſalſuginoſa, quidquid e ſanguine derivabitur, ſalſuginoſum quoque eſſe oportet; urina igitur quæ e ſanguine excernetur, erit ſalſu-

ſuginoſa, & ad irritandum aptiſſima, unde excoriabit ſcrotum & alias partes vicinas, niſi excreta illico removeatur: hæc etiam quæ ex ano fluunt, hujus acrimoniæ non ſunt, cum partim e maſſa humorum deriventur; dabitur ergo ani, & partium vicinarum excoriatio; ſic excreta aliquandiu morentur: eadem ratione interna oris cavitas aphtis deſœdabitur; puer quoque ſiticuloſus, vigil & anxioſus erit. Tandem febris hanc ſanguinis conſtitutionem ſequitur, ut facile cuilibet patet, qua conſumpto ulterius ſanguinis balſamo, mala ſuperius expoſita ingraveſcunt.

DIAGNOSIS.

Per ſe patet, & ſola inſpectione macies dignoſcitur, ejuſque cauſa cognitu non difficilis eſt, quapropter lac nutricis explorare oportet, vel ſi puer fuerit ablactatus, rationem victus a parentibus, vel ipſis miniſtrantibus ſciſcitari oportet; inquirendum an morbis antea fuerit conflictatus, an penuriam ciborum paſſus ſit, an inappetentia diu laboraverit, vel tandem coctione læſa corripiatur, quæ alvo liberiore, fetore excretorum, & ventris intumeſcentia declarabitur.

PROGNOSIS.

Macies recens & a cauſa ordinaria raro periculoſa eſt, & facile tollitur; inveterata vero gravis & periculoſa, nec non difficile curatur, præſertim ſi a cauſa interna & abdita producatur; macies, quæ morbum acutum, & ſanguinis compagem ſolventem ſequitur, maxime periculoſa judicatur, ſi diæta conveniente inſtitura, & remediis adhibitis non ſanetur; verum ſi vigeat appetitus,

& vires refocillentur, macies tunc periculosa non est.

CURATIO.

Quandoquidem macies puerorum utplurimum a salsuginosa & prava victus ratione, vel stomachi vitio reparationem impedientibus producitur, nisi alterius morbi soboles sit, tuncque primo sanato morbo, macies evanesceret, idcirco duplicem eam curandi methodum proponemus; igitur si sanguis & omnes humores acrimoniam contraxerint propter salsuginosam victus rationem, temperare, humectare, & incrassare humores oportet, & si æger lactens fuerit, lac seligetur dulce, & humidum; & quo melius id fiat, nutrix diætam sortem, humectantem & refrigerantem tenebit, jusculis pullorum refrigerantibus, cremoribus oryzæ, vel hordei utetur; si vero puer ablactatus sit, vescetur offis, panatellis, cremoribus, juribus carnium paratis; si somnus desit, syrupo papaveris albi conciliabitur, dosi convenienti exhibito, postea jusculæ pullorum per aliquot dies præscribuntur sic.

℞. *Pull. junior. gallinac. exenterat. cujus venter replebit. hord. mundat. m. i. coq. post despumationem per hor. ij. in aq. fontan. ſ. q. dein add. fol. sequent. ex omnibus m. i. fol. boragin. agrimon. pimpinell. coq. per hor. quadrant. colet. & exprimatur.*

℞ *Quat. semin. frigid. maj. mundat. unc. sem. amygdal. dulc. excorticatar. par. iij. contund. in mortar. marmor. sensim affundendo jusculum supra præscriptum adhuc servens, coletur, & exprimatur, capiat.*

Assum-

Assumpto jusculo supradicto per quatuor vel quinque dies, puer sic purgabitur.

℞. *Rhabarb. contus. & tartar. solub. ana dr. j. semin. lin. p. i. coq. in aq. fontan. s. q. sub fin. coct. adde flor. malv. & fol. oriental. ana p. j. in colatur. & express. unc. iij. dissolv. mann. calabrin. unc. i. & sem. f. pot. cum regimine exhibenda.*

Celebrata purgatione, æger sumet per decem dies mane balneum domesticum, & ab exitu balnei, in cubili collocabitur, ubi jusculum pulli refrigerans ut supra assumet. Si somnus desit, syrupus papaveris albi exhibebitur. Finito balneorum usu, puer iterum purgabitur, & dein lacte caprillo, aut vaccino ebutyrato utetur per mensem & ultra: si macies maxima fuerit, paulatim augebitur lactis dosis, donec lacte tantum vescatur, & quod utilius erit, lac muliebre ipsi præbeatur, si fugere velit: verum ne lac acorem in primis viis contrahat, corallum, ante lactis haustum, ad grana duodecim exhibere confert.

Si macies a debili stomacho cibos coquere non valente procedat, diæta instituatur ut in primo casu, & puer statim purgabitur sic.

℞ *Senn. mundat. & rhabarb. contus. ana dr. sem. semin. contr. & summitat. absinth. minor. ana p. i. coq. in aq. font. s. q. in colatur. & express. unc. iij. dissolv. mann. calabrin. & syrup. cichor. composit. ana unc. j. s. potio.*

Celebrata purgatione, æger sumet per triduum mane, jejuno stomacho, syrupi de cichorio compositi unciam unam, syrupi de absinthio unciam

ſemiſſem, rhabarbari pulverati ſcrupulum unum, aquæ cichorei cochleare unum, vel duo; quo facto iterum purgabitur; & ſi ſaburra in ſtomacho copioſe lateret, purgationi addentur tartari emetici grana tria; elapſa una poſt purgationem die, ſequens exhibebitur pulvis.

℞. *Limatur. ferr. rubiginoſ. gr. viij. rhabarb. & corall. rub. præparat. ana gr. x. fiat pulvis ad uſum.*

Hunc pulverem mane, jejuno ventriculo, juſculum refrigerans ſuperbibendo, deglutiet alternis diebus. Pulveri addenda diagridii grana quatuor; & ne uſu hujus remedii motus ſanguinis nimis intendatur, ſumet hunc pulverem per tres dies, & facto unius, aut duorum dierum intervallo, ſumet iterum per tres dies, eodem ordine progrediendo, donec novies aut duodecies pulverem ſumſerit. Finito pulveris uſu, puer iterum purgabitur, & poſtea alternis vicibus per dies decem ſumet, jejuno ventriculo, ſyrupum de abſinthio, cum pulvere, ut ſupra; quibus ita factis, ſi inappetentia nondum deſit, puer infuſione rhei pro potu utetur.

CAPUT XXVIII.

De Rachitide.

RAchitidem definire non facile, deſcribere vero facile eſt ob numerum ſymptomatum quibus ſtipatur; datur enim irregularis ſolidarum partium proportio. Caput juſto majus eſt, ingenium quam pro ætate acutius, facies pallida, ſubtumi-

da-

daque, muſculi graciles & extenuati, cutis laxa & flaccida, oſſa quoad maximam partem incurvata, & circa articulos prominentia & nodoſa, ſpina varie inflexa, & ſternum acuminatum, coſtarum extremitates nodoſæ, abdomen ſubtumidum & tenſum; his tanta ad motum impotentia adjungitur, ut pueri niſi ſedentes ludere, pedibus inſiſtere, minus adhuc incedere poſſint; difficile reſpirant, febricula corripiuntur, pulmones tumidos & infarctos habent, hepar, lien juſto majora, mezenterium glandulis obſitum poſt mortem invenitur, cerebrum proportione & mole peccans; & in morbi progreſſu a debili collo vix ſuſtineri poteſt capitis onus.

Infantes aggreditur a ſexto menſe a partu ad ſeſqui annum, vel a ſeſqui anno ad finem ſecundi anni cum dimidio; ita ut tempus plerumque invaſionis ſint anni illi duo, qui ſemeſtrem a partu ætatem mox ſequuntur.

Proportionem partium irregularem, oſſiumque curvationem Gliſſonius explicat, ſupponendo partes ſucci nutritii oſſibus inæqualiter apponi, & exemplo columnæ ex tribus quatuorve lapidibus inſtructæ hypotheſim illuſtrare conatur. Si inter lapides quibus columna inſtruitur, cunei ſolidi ponantur, columna in latus oppoſitum inclinabitur: ſic, inquit, & oſſa incurvata fient, ſi ſuccus, quo nutriuntur, uberius in uno latere, parcius in altero deponatur.

Id vero Mayou muſculis aridis & exſiccatis oſſa irregulariter trahentibus tribuit; etenim, inquit vir clariſſimus, ſi chorda arbori teneræ ligetur, creſcente arbore truncus incurvabitur, & flectetur in latus ad quod corda trahit; ita ſi oſſa plus muſculis creſcant, incurvabuntur in latus ad quod muſculi trahunt.

Hæc tametſi ingenioſe a viris clariſſimis excogi-

gitata fuerint: nobis tamen non arrident, quia explicationi ſymptomatum rachitidem ſtipantium ſatisfacere non videntur, ut poſt accuratum examen cuilibet patere poterit. Quapropter credimus rachitidem oriri ex viſcida & ſalſuginoſa nimis lymphæ oſſa irrigantis conſtitutione: quoniam enim lympha viſcida, ſalibuſque nimis turgida ad motum circulationis abſolvendum minus apta efficitur, in intima oſſium ſubſtantia hærebit, & accumulabitur; quoniam oſſium fibræ, carnium & membranarum fibris minus elaſticæ, minus humores exprimunt, & ipſos hærere facile ſinunt. Verum quoniam eadem ubique non eſt oſſium ſtructura, eorum enim fibræ ſtrictius in medio oſſis connectuntur, laxius vero in extremitatibus cohærent, ut ex harum partium examine evincitur; ergo lympha viſcida in oſſium extremis quam in medio facilius hærebit, cum fibræ ſtrictius ibi cohærentes cavitates minus amplas obtineant, partes lymphæ viſcoſiores non admittentes, quæ in extremitatibus oſſium ob cavitates fibrarum ampliores accipiuntur; verum quo major erit in oſſium extremitatibus lymphæ collectio, major quoque ibi dabitur accretio; hinc oſſium extremitates nodoſæ apparent. Rurſus quoniam oſſium extremitates magis accreſcunt, quam eorum pars media, oſſa naturalem & debitam firmitatem non ſervabunt propter irregularem accretionem; hinc tibia in extremitatibus nodoſa incurvabitur, nec non intra vel extra flectetur, prout interna aut externa ejuſdem protuberantia, quæ inferiori femoris extremitati annectitur, magis & abſque ſervata debita proportione accreſcet.

Quoniam coſtæ ſolidiores ſunt in media parte, & in hac extremitate qua vertebris doſi alligantur, molles vero & cartilagineæ juxta alteram extremitatem, quæ ſternum tangit, fiet quoque copio-

pioſa lymphæ congeſtio in extremitate cartilaginea, unde major & irregularis ipſius accretio cum nodis obſervabitur; verum coſtæ terminos lateris habent fixos, quos præterire non facile poſſunt; ergo tota vis accretionis juxta ipſarum longitudinem fiet, quapropter ſternum erigent, pectuſque anguſtatum in latere acuminatum ante videbitur, nec nodi etiam in ſterno deficient, cum ſubſtantia ejus mollis & ſpongioſa lympham hærere facile ſinat.

Rurſus quoniam ſpina dorſi ſerie plurium vertebrarum conſtat, quarum major & media pars mollis & ſpongioſa eſt, laterales vero apophyſes dictæ, firmiores & ſolidiores; major igitur fiet partis mediæ quam lateralium accretio. Hinc ſpina nodis quamplurimis exaſperata incurvabitur, facta inæquali vertebrarum accretione, cum omnes a natura eandem ſoliditatem non obtinuerint. Verum in media vertebrarum parte, foramen excavatur ad ſpinam medullarem, quæ cerebri prolongatio creditur, continuandam; premetur igitur paulatim hæc cerebri prolongatio, & eo magis premetur, quo major erit vertebrarum irregularis accretio. Facta autem compreſſione ipſius, minor humorum copia e cerebro in ipſam derivabitur; ergo cerebrum plus humorum retinens quam ſolito more, majus adhuc incrementum ſuſcipiet, oſſaque capitis adhuc mollia, molliterque articulata magis trudet extrorſum: verum quo magis moles cerebri creſcit, eo magis fibræ quibus conſtat explicantur; fibræ igitur magis explicatæ, & in ſpatio ampliori contentæ, facilius vibrationes regulares efficere, & ipſas diutius continuare poterunt, ſicque puer rachiticus facile ideas percipiet, perceptas facilius comparabit, atque ex ipſis judicium eliciet, cum anima puerorum ex ſe judicia elicienda, non minus quam virorum compara-

rata ſit. Hinc ejuſmodi pueruli ſolito ingenioſiores: verum qua proportione ſpinalis medulla comprimitur, nervi ex ea oriundi parcius liquidum nervoſum in partes ſubjectas diffundunt; muſculi igitur artus moventes, liquido nervorum defraudati, graciles & ad motum efficiendum inepti evadent. Patet autem ligatura nervorum, quantum ipſorum liquidum ad muſculorum nutritionem, & motum conferat. Hinc pueri graciles & quaſi emaciati, pedibus inſiſtere, nec incedere poterunt; ſed ſedentes ludere coguntur; imo, creſcente rachitide, tanta eſt muſculorum debilitas, ut ipſi capitis onus ſuſtinere non valeant.

Quoniam vero organa ſenſuum externorum liquidum nervorum a cerebro hauriunt, inde fit, ut ea ſicuti muſculi non debilitentur, & ideo rachitici facile vident, audiunt, olfaciunt & loquuntur. Demum quoniam ſubſtantia viſcerum mollis & laxa præter modum eſt, facile humores viſcidos congerent, quibus canaliculi eorum obſtruentur; hinc hepar & lien ſubtumida ſunt, & mezenterium glandulis ſcrofuloſis conſperſum aliquando poſt mortem repertum eſt, pulmones quoque humoribus viſcidis infarcti reſpirationem ægre exercebunt, quæ etiam propter thoracis vitioſam figuram, abdominiſque intumeſcentiam lædi poterit.

Verum quoniam humores non viſcidi ſolum, ſed ſalſuginoſi adhuc ſunt, ex eo quoque fit, ut ſalibus in ſanguine exſuperantibus, motus febrilis accendatur; tunc anxietates, ſitis, vigiliæ, rachiticum excruciant, macieſque ſuccreſcit, facta majori ſalium exſuperantium exaltatione, quibus diu reſiſtere non poterit infans.

Cum rachitide non naſcuntur infantes, nec ipſis ſtatim a partu accidit, quoniam humores fœtus & puerorum qui recenter in lucem venere, aquoſiores, nimiſque diluti ſunt, viſciditatem vero ſuc-

ceſſu

ceſſu temporis & circa annum primum, aut ſecundum a cauſis jamjam memorandis adipiſci poterunt.

Rachitidem pariunt quæcumque humores inſpiſſare & ſalſuginoſos efficere poterunt; quo major in humoribus ſalium quantitas, eo minor eorum fluxilitas; quia ſolidum ſulphuris poros replens ipſius expanſionem & liquiditatem imminuit; ſic virus venereum aut ſcrofuloſum a parentibus aut nutrice communicatum rachitidis cauſa eſt. producitur quoque a lacte vitioſo, ſalſo, viſcido; ſic ſi nutrix pravam victus rationem teneat, & veſcatur cibis ſalſis, piperatis, acribus, ſale aut fumo induratis, ſi ebria ſit, ad venerem nimis proclivis, valde ſe exerceat, ira aut violento animi pathemate detineatur, prægnans ſit, ardenter rem veneream expetat vel expleat, proles rachitide corripietur; ſimiliter de matre prægnante cogitandum eſt.

DIAGNOSIS.

Rachitis ex allata deſcriptione, ſeu ſymptomatum congerie dignoſcitur, præſertim ex nimia capitis mole, pectore anguſtato, & acuminato, oſſiumque extremitatibus nodoſis, nonnunquam nodi extremitates oſſium artus componentium afficiunt; mole capitis non excedente, figura thoracis non vitiata, nec tibia incurvatur, nec pueri pedibus inſiſtere, aut incedere poſſunt, propter oſſium præſertim in articulis mollitiem, tuncque rachitis melior declaratur: aliquando eſt morbus per ſe ſimplex, & idiopathicus, aliquando vero ſympathicus, complicatus; conjungitur enim cum hæreditaria lue venerea, vel cum ſcrofulis, quod ex propriis horum morborum ſignis dignoſcetur.

PRO-

PROGNOSIS.

Rachitis cum aliis complicata affectibus, ut lue ſcroſuloſa, ſcorbutica, maxime periculoſa judicatur; minus gravis eſt, ſi luem veneream ſequatur, quia lues venerea facilius quam ſcorbutica & ſcroſuloſa ſuperatur. Rurſus peſſima ſit prognoſis, dum aſcites aut hydrops alicujus cavitatis rachitidi jungitur, propter morborum complicationem; conſiderare adhuc oportet ſymptomatum concomitantium numerum & vehementiam; nam rachitis periculo carere creditur, & abſque remediis creſcente puero evaneſcit, dum nodi in oſſium extremitatibus eminent, cum pedum & crurum debilitate, libera reſpiratione, nulla aut minima apparente abdominis intumeſcentia, viſcerumque obſtructione, vigente appetitu, & ciborum coctione; ſecus, maxime periculoſa, utplurimum lethalis afferatur prognoſis, quando capitis moles maxima, pectus anguſtatum, & acuminatum, venterque tumidus eſt, cum difficili reſpiratione, maxima artuum emaciatione & debilitate, febre lenta, inappetentia, & oſſa undequaque nodoſa cernuntur. Rachitis autem fere nunquam remediis vincitur; ætatis mutatione paulatim evaneſcit, quia partium accretione opus eſt, non medicaminibus.

CURATIO.

Tametſi curatio rachitidis ſoli naturæ committenda videatur, cum partium accretio opus naturæ, non remediorum ſit, attamen quoniam vitioſa humorum conſtitutio accretionem lædit, eam medicaminibus corrigere oportet, ut natura regularem accretionem facilius citiuſque abſolvere poſſit. Quoniam vero diæta vitioſam ſanguinis conſtitutionem emendat, cum ſanguis ex chylo conſi-

ficiatur, in eo igitur præcipua curationis pars consistit, ut diæta conveniens præscribatur; idcirco puer rachiticus si jam ablactatus fuerit, vescatur cibis boni succi, & facilis coctionis, in chylum dulcem & fluidum facile abeuntibus, ut offis, panatellis, cremoribus oryzæ, pane albo, carnibus avium præsertim, & animalium juniorum, modice tamen assumptis. Diæta hac exacte servata, & purgatione identidem celebrata, absque aliis Medicinæ auxiliis rachitis evanescit successu temporis & ætatis mutatione, si levis fuerit, visceraque interna multum non affecerit, præsertim si virgo sit rachitide detenta, quæ facilius sanabitur menstruis debito tempore erumpentibus.

Verum si rachitis gravior sit, majusque humorum vitium significetur irregulari fere omnium ossium figura, præsertim capitis, thoracis, & medullæ spinalis, febrisque emaciatio, & virium dejectio hanc comitantur, tunc natura opitulari oportet, & remediis convenientibus salsuginosam & viscidam humorum massam emandare, ut regularis fieri possit partium accretio; idcirco leviter incidere, simulque humores humectare necesse est. In hunc finem statim celebrabitur purgatio sequens.

℞. *Aquil. alb. gr. x. diagred. gr. iv. cum tantillo conserv. rosar. f. boli duo mane devorandi, superbibendo potionem sequentem.*

℞. *Senn. mundat. dr. i. rhabarb. contus. & epithym. incis. ana dr. sem. sal. absinth. scrup. j. coq. in aq. fontan. unc. iij. in colatur. dissolv. mann. calabrin. unc. j. f. potio.*

Altera a purgatione die, puer ſumat mane juſculum ſequens per novem dies continuandum.

℞. *Radic. bruſc. aſparag. & cichor. ana unc. ſem. coq. per horam in juſculo pulli junioris, aut carn. vervecin. add. poſtea folior. ſequent. ex omnibus m. j. cichor. boragin. chærefol. bull. per horæ quadrant. col. & exprim. f. juſcul.*

℞. *Tartar. chalib. ſcrup. ſem. cap. cum cochlear. juſcul. reliquum ſuperbibendo.*

Finito juſculorum uſu, purgatio iterabitur ut ſupra, & deinde puer utetur novies pulvere ſequenti.

℞. *Croc. mart. aperient. majal. ror. parat. & rhabarb. pulverat. ana ſcrup. ſem. æthyop. mineral. ſine igne parat. & caſſ. lign. ana gr. vj. cinamom. & jalap. pulverat. ana gr. v. f. pulvis pro una doſi, ſuperbibendo juſculum pull. foliis cichorei alteratum.*

Poſt quartam hujus pulveris doſim, puer una aut altera die deſiſtet ab ipſo, nec nimium fatigetur. Aſſumpto pulvere per tempus præſcriptum, & in fine celebrata purgatione, utetur poſtea per quindecim dies lacte vaccino, cum ſalſæ parillæ ebutyrato, & ſacchari ſufficienti quantitate edulcorato, cujus uſu finito, & ægro repurgato, lac aſininum recens mulſum præſcribetur per menſem & ultra, celebrata purgatione poſt decem aut quatuordecim dies, tuncque alternis diebus, ſcrupulos duos opiatæ ſequentis mane ante lactis hauſtum, vel ſero hora ſomni ſumet.

℞. *Con-*

℞. Conſerv. flor. aurantior. & kinorrod. ana dr. iij. ſalſ. parill. pulverat. & corall. rubr. præparat. ana dr. ij. æthyop. mineral. antimon. diaphoret. & corn. cerv. philoſoph. præparat. ana ſcrup. ij. cum ſ. q. ſyrup. de abſinth. ſ. opiata ad uſum.

His eo ordine factis, ſi febris & macies non remiſerint, ut humorum maſſa magis demulceatur, uſus lactis continuabitur, eritque rachitico pro omni cibo gradatim exhibendum, ut ejus ſtomachus paulatim aſſueſcat, purgatione per intervalla celebrata.

CAPUT XXIX.

De Tumoribus ſtrumoſis.

STrumæ ſeu ſcroſulæ ſic dicuntur, quia frequenter ſcrofis, id eſt, ſuibus in collo fiunt, vel a multiplici partu; quoniam ſicut ſues multos edunt partus, ſic in ſcroſulis ex una poſtmodum fiunt plures. Strumæ autem ſunt tumores glandulas præcipue afficientes colli, axillarum, aliarumque quæ circa articulos oſſium collocantur; ſcilicet in cubito, manu, digitis, genu, pedibuſque frequenter apparent; paſſim tamen ubique fiunt, in brachiis, cruribus, & oſſa non raro afficiunt, ut coſtas, & ſternum, imo nec partibus internis parcunt. Hi tumores in principio minimi, cuti concolores, leviter indureſcunt, & ſcirri naturam æmulantur; paulatim ſuccreſcunt, mollitiem acquirunt, levis & profundus fit dolor, præcipue dum tanguntur & comprimuntur: dein tumor inflammatione corripitur, & ſuppuratio accedit; quandoque dolent & emol-

emolleſcunt, nullo apparente rubore, tumor intus ſuppuratur, cariemque ſubditis oſſibus infert, priuſquam ſigna certa ſuppurationis apparuerint, tumore ſuppurato aperto, materia purulenta, viſcida, albido-pallida, aut flava ſine fetore excernitur; & ideo hi tumores ad atheromata, ſteatomata, & melicerides, ob conſiſtentiam materiæ, a nonnullis non immerito referuntur. Unicus quandoque tumor eſt, plures aliquando ſimul in diverſis locis; dum ad ſuppurationem perducuntur, æger macie, febre lenta, virium dejectione corripitur, facies pallore defœdatur, perſeverante ſuppuratione maraſmus accedit.

Quandoquidem glandularum textura mollis & laxa admodum eſt, eæque vaſis præſertim lymphaticis, pauciſque ſanguineis, aliiſque ſecretioni humorum inſervientibus, mille modis inflexit & intortis conſtant, ex eo quoque oportet, ut motus humorum glandulas ſubeuntium facile in ipſis ſiſtatur, ni humores maximam fluiditatem obtineant. Cauſa igitur ſtrumarum erit viſciditas & acrimonia lymphæ, quæ per intimam glandularum ſubſtantiam provolvitur, a cauſa peculiari producta, quæ virus ſcrofuloſum nuncupatur; lympha ſpiſſa in glandulis paulatim hærens, & accumulata, tumorem indolentem parit, qui ſucceſſu temporis incrementum ſuſcipiens, dolet, rubet, ſuppurat.

Quoniam autem lympha ad glandulam obſtructam continuo accedit, augetur quoque continuo ejuſdem hærentia, novumque dilatationis gradum tumor acquirit, quo fit ut major vaſis ſanguiferis compreſſio fiat, ſicque præpedito ſanguinis motu, calet, rubet, magiſque dolet glandula tumefacta.

Verum quoniam in intima glandulæ ſubſtantia major fit vaſorum compreſſio, magis etiam motus humorum ibi ſiſtitur, unde ipſorum diſruptio,

qua

qua facta humores effunduntur, & ſuppuratio incipit; verum propter viſciditatem humoris, fit ut ſuppuratio abſque motu tumultuoſo, & præcipiti fiat, & ideo cum motus ſuppurationem efficiens levis & pacatus fiat, vix ſui indicia ſuppuratio præbet: quoniam tamen humor effuſus aciditatis ſimul & acrimoniæ particeps eſt, pus jam genitum & ſuper oſſa effuſum, ea rodit, & exulcerat, vel ſinus quamplurimos in vicinia ſibi facit, ſi glandula circa carnes, & ab oſſibus remota fuerit; ſi minus ſit lymphæ vitium, una aut altera tantum glandula afficietur: ſi majus, plures ſimul in diverſis partibus tument. Nec oſſibus aliquando parcit hæc vitioſa conſtitutio lymphæ; hinc vitioſa rachitidis cum ſtrumis complicatio, & utplurimum oſſa ſpongioſa ut ſternum, materiis ſtrumoſis imbuta tument & exulcerantur. Hinc facile patet ratio cur tumores ſtrumoſi manum pedeſque ſæpius afficiant; etenim cum hæ partes pluribus oſſibus ſimul articulatis conſtent, ibique maximus ſit glandularum numerus humorem viſcidum, motui articulorum inſervientem eructantium; ex eo quoque ſatis patet cur ſtrumæ has partes ſæpius afficiant.

Nec glandulis intus latentibus tetra hæc lues parcit; quoniam enim eadem eſt omnium glandularum textura, idemque lymphæ ad eas appellentis vitium, ideo glandulæ internæ, ſicut & externæ ſtrumoſæ fieri poſſunt, ſicque hepar & lien tumida, & obſtructa, hypochondria tumere faciunt. Verum in mezenterio glandulæ paſſim occurrunt quæ materiis ſtrumoſis repletæ & tumidæ venas ex inteſtinis redeuntes compriment, & ſanguinis motum in ipſis retardabunt, quo calor augebitur, aeris in eis contenti vis elaſtica, & dilatatio creſcet, unde inteſtinorum dilatatio, totiuſque abdominis intumeſcentia dabitur; verum ſicuti glandulæ externæ materiis ſcrofuloſis obſtræ

ſuppurantur, ita & facilius internæ, cum ibi major ſit calor, majorem humorem hærentium motum concitans: ut e glandulis ſuppuratis aliqua puris quantitas a vaſis ſanguiferis & lymphaticis reſumetur; ergo maſſa humorum pure inquinata fermentationem præternaturalem contrahet, qua, ſalibus ipſius magis exaltatis, ulteriorem acrimoniam lympha adiſpicetur, unde febris lenta cum marcore, virium proſtratione, & faciei pallore fiet, quibus ſucceſſu temporis maraſmus adjungetur, cum pus jam gentium ſuppurationem partium vicinarum producat.

Conſtitutionem ſanguinis ſcroſuloſam producit lac quo infantes veſcuntur ſalſius calidiuſve; ſit autem ſalſum & ſalſuginoſum, propter malam nutricis victus rationem, vel vehemens animi pathema, quibus lac magnopere alteratur; quoniam autem ſtomachus lactentium debilis eſt, nec notabile ſanguinis vitium corrigere poteſt, idcirco ſanguis qui a lacte adeo viſcido conficitur, ejus indolis eſſe debet, unde univerſa humorum maſſa viſciditatem, & ſalſedinem contrahit, quo fit ut chylus, qui deinde ſanguini admiſcetur, tametſi laudabilis, hoc maſſæ humorum vitium corrigere nequeat, niſi minimum adhuc ſit, cum chylus e ſanguine ſit elaborandus, & in ipſum convertatur. Citius vero aut tardius hoc humorum vitium manifeſtatur, prout maſſa humorum magis aut minus inficitur; quoniam vero ſanguis lactentium ſeroſus multum eſt, eorumque victus ratio humida, hinc ſanguis lactentium difficile viſciditatem & acrimoniam contrahit, lueſque ſcroſuloſa in ipſis nec minima ſui indicia præbere poteſt; hinc pueri, quandiu lacte veſcuntur, licet virus ſtrumarum inquinentur, obeſi & omni ex parte ſani videntur. Verum creſcente puero, mutata victus ratione & ætate, ſanguis minus aquoſus evadit, ſa-

ſaleſque quibus maſſa humorum ſuit ante impræ-gnata, majorem adipiſcuntur molem, & poros ſulphurum replentes fluiditatem lymphæ immi-nuunt; hinc tumores glandularum naſcuntur; ve-rum creſcente ſalium mole, magis quoque humo-rum fluiditas tollitur, unde viſcidior, magiſque ſpiſſa lympha evadit.

Strumæ adhuc pueris accidunt, ſi nutrix im-prægnetur: quoniam enim aura ſeminalis humo-rum conſiſtentiam mutat, ſanguiniſque motum in-teſtinum, atque fluiditatem imminuit: ex eo fit, ut lac poſt conceptionem in mammis ſecretum, viſcidum nimis, acidumque ſit, hacque de cauſa ad ſtrumas generandas aptiſſimum.

Eadem ratione morbus hic naſcitur, dum lacte plurium nutricum veſcitur puer; hæc enim lactis diverſitas pueri ſanguinem inquinat, cum plures nutrices lac variæ indolis habeant, quod in hu-mores laudabiles minime converti poteſt. Demum ſtrumæ per contagium communicantur, & a pa-rentibus in prolem transfunduntur; hæc tetra lues irrepit facto humorum hærentium cum infantibus commercio, quia humores parentum in tenerum corpus fetus translati, idem vitium incurrunt quod ipſi a maſſa humorum accepere: lues quoque ve-nerea parentum, aut nutricis male curata, aut diu ſopita, ſtrumas pueris communicat; ſicque pueri ob parentum peccata miſere affliguntur, quia lues venerea ſcroſuloſæ maxime affinis eſt, ut ex eorum effectibus evincitur.

DIAGNOSIS.

Tumores ſtrumoſi non a ſede dignoſci poſſunt, cum glandulæ colli, & in vicinia articulorum col-locatæ tumere & inflari poſſint abſque lue ſcroſu-loſa, ſed præſertim ex modo afficiendi; ſtrumæ

tumorem efficiunt in principio cuti concolorem, & indolentem, ſcirri naturam æmulantem: paulatim & lente ſuccreſcit ille tumor, tuncque dolor eſt, non gravis tamen, niſi prematur, aut dure tractetur; rubor & calor aliquando adjunguntur, diuque in hoc ſtatu perſeverat priuſquam certa ſuppurationis ſint indicia, quæ utplurimum tumoris mollitie, & fluctuatione in eo percepta declaratur; hinc tumores frigidi, qui vulgo ſtrumæ dicuntur, quia ab humore frigido & lente ad ſuppurationem vergente fieri creduntur; tumore ſuppurato aperto, materia purulenta, viſcida, & abſque ferme fetore extrahitur, vulnuſque inflictum adeo difficile ſanatur, ut tumor per plures annos ſuppurare ſoleat, irritis remediis, quia vitioſa ſanguinis conſtitutio cicatricem fieri vix permittit, conſumpto fere ſanguinis balſamo, partes ſolutæ coaleſcere non poſſunt, præſertim ſi tumor, ſuppuratus os adjacens eroſerit, quia caries pus corroſivum continuo ſuggerit, a quo acrimonia ſanguinis fovetur. An hæreditariæ necne ſtrumæ ſint, ex relatu parentum Medicus aſſequetur; tum etiam ſi plures pueri ejuſdem familiæ iis laborent.

PROGNOSIS.

Strumæ difficile & ſola ætatis mutatione ſanantur, vim remediorum utplurimum ſuperant. Si maſſa humorum lue ſcroſuloſa leviter inquinata unum aut alterum tumorem efficiat, tunc antequam morbus ingraveſcat & tumor ſuppuret, eum auferre oportet, ut aliquoties feliciter factum obſervavi. Verum ſi plures ſimul diverſas partes afficiant, præſertim pedes manuſque, nihil aliud fieri debet, quam vitioſam ſanguinis conſtitutionem corrigere remediis convenientibus; etenim re-

reſolventia, ut topica, quæ nonnulli tumoribus ſtrumoſis apponunt, ſuppurationem eorum accelerant, viruſque ibi latens & ſopitum exſuſcitant, exaltant, acrius efficiunt; unde ſuppurato tumore graviora mala ægrotantibus accidunt, tametſi tumor ad ſuppuratum pervenerit, oſſaque carie fuerint detenta, de curatione non deſperandum, modo febris deſit, ſomnus, appetitus, & vires ſat conſtent. Immutatione ætatis morbus ſanabitur, ut ſæpe ſæpius obſervatur: verum ſi ſuppuratio copioſa ſit, aut plures tumores in diverſis partibus ſimul ſuppurent, oſſiumque caries maxima ſit, cum impotentia ad motum, oſſiumque affectarum intumeſcentia, febris lenta acceſſerit, cum inſigni marcore, magnaque virium dejectione, maximus eſt mortem timendi locus. Demum de ſalute ægri conclamatum eſt, ſi tumor ſcrofuloſus intus genitus ſuppuret, cum via nulla puri pateat, qua foras produci poſſit.

CURATIO.

Vix remedia in curandis ſtrumis proſunt, ſanantur potius ætatis & temperamenti mutatione, quam remediorum vi; nec ideo remedia negligenda ſunt, ne vitioſa ſanguinis conſtitutio graviora mala afferat; imo radicitus auferri poteſt morbus incipiens, & mitis adhuc; ſi unicus eſt tumor v. g. in collo, aliiſque partibus a nervis, tendinibus, vaſiſque majoribus remotus, eum auferre oportet, ne humor ibi a ſanguine depoſitus ulteriori mora maſſam humorum magis inquinet.

Verum ſi plures tumores ſimul naſcantur, aut tumor circa pedem, manum, aut circa oſſium articulos ſit, topica ipſi admovere minime prodeſt, nam ſæpius noxia ſunt, cum ab his admotis acceleretur ſuppuratio tumoris; ſi tamen aliqua

admovere animus est, initio præsertim, ad tumorem debellandum, resolventia mitia sint, ut emplastrum de vigo, quadruplicato mercurio, diabotanum, emplastrum de cicuta & sulphure: alia fortiora resolventia caute sunt admovenda, ne lues scrofulosa in tumore latens & quasi sopita in actum deducta, gravior evadat, & tumor suppuratus sanguinem sua lue penitus inficiat. At si tumor suppuret, quod sæpe accidit, utprimum signa suppurationis apparent, aperiendus illico est, & via materiæ purulentæ præbenda, ne diutius morans, partes vicinas rodat, aut sinus efficiat, tunc data puri sat ampla via ulcus detergendum est, donec naturæ viribus, constitutione sanguinis emendata, cicatrix partes solutas conjungat. Si caries fuerit, patienter expectandum, partem osseam carie erosam excidere: quo facto ulcus paulatim sanabitur: unguento suppurativo, balsamo Arcæi, mundificativo de apio sanari poterit; si labia callosa & dura fuerint, balsamum chalibeatum, aut viride æris imponetur; & si sinus fuerint, propter partis situm non facile aperiendi, injectione vulneraria ex absinthio, centaurio minori, scordio, aliisque similibus detergantur.

Verum ne morbus gravior fiat, vel ut humores citius sanentur, vitium sanguinis remediis internis corrigendum est, & imprimis diæta conveniens præscribenda, in qua maxima & præcipua pars curationis consistit; quoniam enim sanguis ex chylo fit, quo melior, laudabiliorque erit, eo sanguis melioris indolis nascetur; diæta vero plena erit, quanquam febris strumis fuerit conjuncta, quia hæc semper est de genere lentarum: si tamen ob suppurationis copiam, vel aliam causam magis accenderetur, mediocris tantum esset instituenda, donec febris remiserit, modice cibis æger uretur, quia plenior victus vasa infarciret, & impuritates forsan

ſan produceret: cibi vero ſeligendi ſunt boni ſucci, facilis coctionis, ut offæ, panatellæ, carnes juniorum animalium aſſæ, vel elixæ, aromatibus vero non conditæ, omniaque ſalſa & piperata, cruda & acida vitanda, ne ab eorum uſu, ſanguis ulteriorem viſciditatem & acrimoniam contrahat; ab uſu vini ſe abſtineat, exercitia fortiora fugiat, ſicuti aerem humidum, frigidum & nebuloſum. Diæta in hunc modum præſcripta, puer ſic purgabitur.

℞. *Aquil. alb. gr. x. diagred. gr. iv. cum tantill. conſerv. roſar. ſ. bol. mane deglutiend. ſuperbibendo potionem ſequentem.*

℞. *Senn. mundat. dr. i. & ſem. rhab. contuſ. dr. ſem. epithim. inciſ. p. i. ſal. tamaric. ſcrup. i. coq. in decoct. polypod. quercin. unc. v. in colatur. & expreſſ. diſſolv. mann. calabrin. unc. j. ſ. potio.*

Si ſaburra in ſtomacho abundaret, tartari ſtibiati grana tria vel quatuor addi poſſunt. Evacuata primarum viarum ſaburra, ſequens juſculum per dies decem ſumendum præſcribetur.

℞. *Radic. chin. contuſ. dr. ij. enul. campan. dr. j. rhab. contuſ. in nod. ſuſpenſ. ſcrup. j. coq. per hor. j. in juſcul. pull. junior. add. fol. ſequent. ex omnib. m. j. agrimon. ceterac. & ſcolopendr. bull. per horæ quart. part. colet. & exprimatur.*

Finito juſculorum tempore, & repurgato ægro, ſequens opiata per decem dies ſumenda paretur.

℞. *Croc. mart. aperient. majal. ror. præparat. dr. iij. ſenn. mundat. & rhabarb. pulverat. ana dr. j. æthyop. mineral. ſal. abſinth. & jalap.*

ana ſcrup. cinnam. gumm. amoniac. & diagred. ana ſcrup. ſem. rediganturomnia in pulverem, & cum ſ. q. ſyrup. flor. perſicor. f. opiata ad dr. ij. ſumenda, ſuperbibendo juſcul. pull. fol. naſturt. aquat. alterat. & deambulando, ut mos eſt.

Ne ab opiatæ ſingulis diebus ſumptæ uſu motus ſanguinis intendatur, per triduum ſumet, & una die quieſcet, iterumque per triduum ſumet. Finito opiatæ uſu, puer repurgabitur, & dein per decem dies mane capiet ſerum lactis vaccini, ovi albumine clarificatum, & ſacchari candidi ſufficienti quantitate edulcoratum, cui addetur ſucci cærofolii depurati uncia una. Finito ſero lactis uſu, & iterata potione purgante juſculum cancrorum fluviatilium per dies novem ſumendum præſcribetur.

℞. *Pull. junior. exenterat. cujus venter implebitur hord. mundat. m. ſem. quat. ſemin. frigidor. mundat. unc. ſem. amygdal. dulc. excorticat. par. v. deſpuma, & coq. in aq. fontan. ſ. q. per hor. ij. add. poſtea cancr. fluviatil. in aq. fervent. ad rubedin. extinct. & in mortar. contuſ. num. ij. fol. borag. buglo∬. & cærefol. ex omnib. m. j. bull. per hor. ſemi∬. col. & exprim. f. juſcul.*

Aſſumpto cancrorum fluviatilium juſculo per tempus notatum, & iterata purgatione, ptiſana ſudorifica ſic parabitur.

℞. *Salſ. paril. inciſ. unc. iij. lign. ſanct. minut. ſect. & ſaſſafr. contuſ. ana unc. j. coq. in aq. font. lib. xij. uſque ad quart. part. conſumpt. col. & exprime ad uſum.*

Su-

Sumet qualibet die hujus decocti tres hauſtus mane jejuno ſtomacho, tribus horis poſt prandium, & ſero hora ſomni; continuabit per menſem & ultra, & bis in hebdomada ſumet, ante primum hauſtum, aquilæ albæ, vel æthyopis mineralis grana decem; purgatione celebrata in medio & fine, diæta exſiccans tunc inſtituatur, ut major per poros cutis fiat ſanguinis depuratio.

His omnibus ſupra propoſitis eodem ordine factis, patienter exſpectare oportet, ſi irrita fuerint, ut ætatis & temperamenti mutatio ſanguinis vitium corrigat, & tumores ſanentur; quapropter nihil amplius moliendum, ſed diætam ſemper tenere, & identidem purgationem præſcribere; longiori enim remediorum uſu morbus hic quandoque ingraveſcit, qui ex ſe miteſcit & penitus evaneſcit, mutata paulatim & ſucceſſu temporis prava humorum conſtitutione.

Verum ſi ſuppuratio tanta eſt, ut pus humores magnopere inquinet, febremque lentam ad maraſmum tendentem producat, tunc lac aſininum præſertim confert, cui ſtomachus pueri paulatim aſſuefactus majorem paulatim doſim ferre poterit; idcirco doſis quoque ejus paulatim augebitur, donec lacte pro omni cibo utatur, nec alius eſt modus balſamum ſanguinis reparandi, maraſmum & mortem ipſam præcavendi.

CAPUT XXX.

De Variolis & Morbillis.

TAmetſi variolæ & morbilli adultos aggrediantur, ea tamen inter infantium morbos annumerabimus; quoniam infantes præ adultis his corri-

ripiuntur: Hi morbi fuere Antiquis penitus ignoti, ab Arabibus detecti, & accurate descripti, quos ante eos nec *Hippocrates* ipse cognoverat, nec refert Sileni exemplum, quo nonnulli utuntur, ut probent variolas Hippocratem non latuisse, cum papulæ illæ parvæ atque rotundæ in Sileno ab Hippocrate observatæ in abscessum non finierint; variolæ vero nunquam absque suppuratione terminantur; sed præterea si morbus hic Antiquis fuisset cognitus, ab Hippocrate etenim fuisset descriptus, qui aliorum affectuum minoris momenti descriptionem adeo diligenter posteris suis reliquit; a veritate ergo alienum non est variolas & morbillos Hippocratis tempore in genus humanum nondum sæviisse; cur vir ille morborum indefessus observator, hunc quoque non depinxisset?

Variolæ & morbilli epidemice grassantur, sæpeque febres malignas & pestilentes anteeunt, & sequuntur; morbi sunt generi humano infensissimi, quandoque ita graviter sævientes, ut ingentem hominum numerum jugulent; nec animantibus dirus hic affectus parcit; inter verveces & jumenta grassatur cum magno hominum detrimento: Indis incognitæ penitus fuere variolæ, si fides Historicis sit adhibenda, donec Europæi in Indias venerint, præ populorum commercio, morborum semina invicem communicata fuere. Indi luis venereæ semina Europæis communicaverunt, & isti variolas concessere: ex eo lues venerea in Europa prius incognita inter populos Europæ fuit disseminata, & variolæ Indiarum regna crudeliter vastarunt.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De causa Variolarum.

TAm abdita & inventu difficilis est causa variolarum, ut Auctores in diversas & fere infinitas sententias abierint. Avicenna & Arabes prope omnes causam variolarum atque morbillorum internam & materialem a sanguine materno in imprægnatis per menstrui fluxus suppressionem stagnante deducentes, in corpore infantili inde inquinato volunt delitescere, taciteque conquiescere, donec specifica aliqua causa efficiente excitetur, & in actum promoveatur.

Illis post alios doctos viros suffragari videtur Willisius, dum loquitur de fermento quodam in utero genito, temporeque conceptus, quo omnino menstrua deficiunt, in fetum cum partibus nutritionis derivato, unde sanguini communicatur prædispositio symptomatibus variolarum & morbillorum suo tempore efformandis apta.

Clarissimus Grembs in sua arbore integra & ruinosa, menstruo sanguini adjungit semen corruptum, unde vestigia remanent, a quibus variolarum & morbillorum putredo cum fervore incipiat.

Verum præterquam quod fetum a sanguine materno in utero non ali certissime constet, sed a succo lacteo per varios ductus secretorios ex utero in placentam derivato, & per funiculum umbilicalem ad fetum traducto, & existentia fermenti uterini argumentis sat certis non demonstretur, sed potius suppositione admittatur: 1. Verosimile est, dato etiam infantulum unice sanguine per umbilicum suscepto vesci, fore fermenti & corrosivis partibus ita onustum & imprægnatum, ut earum re-

reliquiæ tot, tamque tragicis effectibus pariendis, poſt longam moram, poſt tot circuitus una cum ſanguine peractos, ſint apprime convenientes; quomodo enim delicatula embrionum textura ipſi acrimoniæ ferendæ fuerit accommodata; at quare, & quo in lucem eduntur tempore tam vehementes, quos ſuſtinent motus, tamque violenta, ab auris liberioribus, omnibuſque ambientibus & occurrentibus mutatio fermentum non ſuſcitabunt; ſed præterea quis noſcet, menſtruum fluxum omnibus in univerſum mulieribus non ita eſſe proprium, ut plures inter eas etiam fœcundas dentur, quæ illo deſtituantur; conſulat hiſtorias a *Nicolao Florentino*, *Rondeletio*, *Marcello Donato*, *Guainero*, *Bertino*, *Platero*, aliiſque multis poſteritati mandatas. His demum addamus: ſi variolæ a ſanguine materno, vel fermento uterino ipſi adjuncto procederent, morbi omnis ævi & æternitatis fuiſſent, cum mulieres ſanguinem menſtruum & fermentum uterinum ſemper habuerint. Verum ut ſupra notatum eſt, nulla variolarum antiquis & prioribus mundi ſæculis fuit notitia; non eſt itaque quod variolarum & morbillorum cauſam internam repetamus a ſanguine menſtruo inficiente, tempore graviditatis derivato, atque in fetum modo citius, modo tardius exaltato.

Ad recenſitam opinionem, quæ ſanguinem menſtruum, & fermentum uterinum cauſam variolarum aſſignat, accedere videtur opinio *Alexandri Petronii*, qui Romæ Medicinam non ſine laude exercuit, hic enim in libro ſuo de Morbo Gallico typis edito demonſtrare conatus eſt unam & eamdem originem eſſe lepræ, morbi Gallici, & variolarum, quos omnes morbos imaginatus eſt originem ducere ab alimento fetus in utero putri; ſupponit alimentum fetus copioſiſſimum eſſe, & propter copiam putrefieri, cujus alimenti putrefacti

cti ſeminaria ſopita in actum deducantur. Hæc autem hypotheſis iiſdem rationum momentis ſuperius allatis evertitur.

Fuchſius vero cauſam variolarum eamdem ac reliquorum exanthematum eſſe exiſtimat, humores ſcilicet omnis generis excrementitios ſanguinem inficientes. Verum ſi cauſa variolarum putredo humorum eſſet, quomodo hic morbus epidemice graſſaretur, & regna dire vaſtaret: cur enim omnes homines pluries iiſdem non afficerentur, quod raro tamen accidit, cum humores excrementitios intra corpus congeri & putreſcere adeo ſæpe accidat.

Diemerbroeckius cauſam variolarum tenebris adeo ſpiſſis, undique obſitam eſſe aſſerit, ut mens humana eam aſſequi minime poſſit, quapropter de ea tacere ſatius contendit, quam ingenii figmenta aſſerere.

Martinus Liſter Scriptor noſtri ævi doctiſſimus, venenum a morſu aut eſu belluæ, primo communicatum, & deinde in univerſum genus humanum diffuſum cauſam variolarum eſſe ſupponit, ſufficienſque ſui inventi fundamentum retur ſimilitudinem ſymptomatum quæ variolas comitantur, & morſuram venenatorum animalium ſequuntur, undique morborum ſimilitudo ergo & ſimilis cauſa.

Verum quam a veritate recedere hæc hypotheſis videatur, facile patet; etenim 1. quo modo miaſmata veneni, copia adeo exigua, primo infuſa univerſum humanum genus inficere potuiſſent; nam quo major ſuiſſet ipſorum diviſio, minor quoque ad afficiendum eſſet potentia, & variolæ minus dire hodie graſſarentur; imo videtur hæc miaſmata cum ſanguine hominum circulantia per tot ſæcula adeo diviſa fore, ut ad afficiendum capacia vix credi poſſint, niſi indiviſibilia ſupponantur;

ſed

ſed quantitates ſunt, ergo natura ſua diviſibilia. 2. Si talia miaſmata cauſa variolarum eſſent, cur ii qui ante matrimonii uſum variolis curati fuere, proles variolis inficiendas generant? Etenim curatis variolis ſanguis inquinatus ſupponi nequit; quomodo igitur hæc miaſmata in proles poſſunt transfundi, niſi curato etiam morbo in ſanguine adhuc intacta ſuperſint, quod veritati minime conſentaneum eſſe videtur. 3. Quæ bellua erit cujus venenum adeo potens ſit, ut univerſum hominum genus per tot ſæcula indeſinenter afficere queat, cum nihil tale in ceteris venenatis animalibus obſervetur. Tarantula, vipera, ſcorpio, aranea, ceteraque de genere venenatorum animantia venenum generi humano ita infenſum non habent, tametſi eorum aliqua morſu ſubito hominibus mortem afferant, nec qui ab illorum veneno ſanati fuere minimam deinde ſuis prolibus labem communicant, tametſi diu in ſanguine hoſpitet, nec non per intervalla iterum afficiat, ut exemplis tarantularum, ita obſervante *Baglivio*, certiſſime conſtat.

Fernelius cœcam & malignam accuſat aeris qualitatem, quæ variolas producit quoties in ſanguine hominum diſpoſitionem reperit.

Mercurialis ſupponit miaſmata in aere diſperſa; & prima vice, qua variolæ erupere intus attractæ, hæreditarie univerſum humanum genus poſtea infecere, ita ut ſucceſſu temporis a parentibus in proles fuere tranſmiſſa; verum eadem rationum momenta quæ adverſus *Liſteri* ſententiam fuere propoſita, iſtam hypotheſim quoque evertunt.

Verum quid in tanta opinionum varietate, tantaque rerum caligine ſentire poterimus, quod ad veritatem accedere videatur? Nos igitur minus a veritate aberrare exiſtimamus, ſi in cauſa variolarum inveſtiganda ducem experientiam habeamus: verum obſervamus variolas regna & imperia vaſtare, in-

incolaſque ejuſdem regionis multos ſimul invadere, necnon inter pecora graſſare, & ſæpe febres malignas & peſtem ipſam antecedere, comitari, aut ſubſequi; ex eo quoque concludimus variolas a cauſa generali & univerſali, quæ omnibus ſimul hominibus & pecudibus ejuſdem regionis ſit communis produci.

Verum nihil ſic commune eſt præter aerem vel cibos; igitur a vitio aeris vel ciborum variolas deducere rationi ſat conſonum videtur; ſed variolæ a regione in regionem vagantur, cibi vero non ſic; igitur aer cauſa variolarum merito dici poteſt, non quatenus purus, ſed miaſmatis inquinatus; hæc vero miaſmata aeri terra ipſa ſuppeditat, quæ in ſinu ſuo principia & mixta cujuſcumque naturæ recondens, ea per aerem aliquando copioſe diffundit, unde morbi epidemici oriuntur, & inter populos miro modo graſſantur. Horum autem miaſmatum naturam determinare impoſſibile videtur, cum hæc ſub ſenſibus minime cadant, ſed ea ſumme activa & partibus integrantibus ſolidis admodum prædita ſupponere poſſumus.

Quæres 1. cur variolæ ſicuti & reliqui morbi a vitio aeris procedentes non ſemper homines affecere, cum ab initio ferme mundi peſtis genus humanum invaſerit, quidni ſimiliter variolæ, cum a vitio aeris quoque dependeant.

Reſpondeo hoc eſſe diſcrimen inter miaſmata peſtilentialia & variolas producentia, quod iſta ſunt determinatæ naturæ, & ſpeciei, altera vero nequaquam; ſed ſufficit ut ſumme corroſiva ſint ad peſtem inducendam; hinc peſtis non eodem ſemper prorſus, ſed diverſo modo afficit, quandoque febrem cum ſanguinis diſſolutione, aliquando vero cruoris coagulationem abſque febre peſtilentialia miaſmata pariunt; hinc diverſa peſtem curandi methodus, & pharmaca, quæ in peſte ſemel

mel invadente profuere, inutilia, imo noxia ſunt, peſte poſt aliquot annos redeunte; variolæ vero eumdem ſemper afficiendi modum ſervant, & iiſdem produnt ſe ſignis, eadem ſemper prodeſt methodus curandi, niſi morborum complicatio adſit; ex hoc igitur concludere licet miaſmata determinatæ naturæ & ſpeciei variolas afferre; peſtem vero oriri a miaſmatis corroſivis cujuslibet ſpeciei & naturæ; verum quoniam in ſinu telluris ſalia corroſiva a mundi origine fuere, ideo peſtis eſt morbus antiquiſſimus; ſecus vero variolæ, quarum miaſmata non ſemper in centro terræ fuere, ſed ſucceſſu temporis ſenſim genita. Poſſe autem nova miaſmata nunc generari quæ antea non fuere, rationi & experientiæ non opponitur.

Quæres 2. cur omnes incolæ regionis ubi variolæ graſſantur, iiſdem ſimul non laborent, cum cauſa variolas producens omnibus ſimul applicetur?

Reſpondeo. Tametſi variolas a miaſmatis per aerem identidem diffuſis oriri ſupponamus; hæc tamen per ſe & abſque ſubjecti diſpoſitione variolas producere minime poſſunt; etenim apud Medicos conſtat cauſam effectum ſuum non præſtare poſſe, niſi in ſubjectum diſpoſitum agat; cum igitur ſanguis omnium ejuſdem regionis eamdem diſpoſitionem non habeat, hinc quoque nihil mirum ſi variolæ omnes ſimul non afficiant. Imo ſunt quidam quorum ſanguis tam firma partium cohæſione gaudet, ut minime his miaſmatis infici queat, & ideo pueri facilius adultis variolis corripiuntur, quia eorum ſanguis textura debiliori conſtans facilius miaſmata ſuſcipit. Hinc fit ut plura ad variolas contrahendas diſponant, prava ſcilicet victus ratio, aeris impuri inſpiratio, vigiliæ, motus corporis & animi vehementes, aliaque plura, quibus textura ſanguinis alterata, miaſmatis continuo incurrentibus minus reſiſtere valet.

Quæ-

Quæres 3. cur ſemel per vitam ut plurimum homines variolas patiantur, cum pluries febribus malignis epidemicis, vel peſte corripi poſſunt, & quare quidam iiſdem bis aut ter corripiantur?

Reſpondeo variolis recurrentibus & ſanatis, ſanguinis depurationem fieri, & partes ipſius novam acquirere modificationem & continuationem, qua fit ut ſanguis texturam meliorem & firmiorem poſtea nactus, iiſdem miaſmatis diu reſiſtere queat; mutari autem ſanguinis diſpoſitionem a variolis experientia demonſtrat. Vidi pueros non paucos, qui ante variolarum invaſionem diu morbis fuerant conflictati, & qui invadentibus variolis ex iis evaſerunt robuſtiores, & valetudine integra fruentes; unde tanta ſtatus mutatio, niſi quia ſanatis variolis conſtitutio ſanguinis fuit quoque mutata? Sic tollitur diſpoſitio ad variolas iterum contrahendas: verum quoties propter pravam ſanguinis conſtitutionem depuratio ejuſdem in variolis non abſolvitur, nec conſtitutio ſanguinis perfecte mutatur, nec ad variolas iterum contrahendas diſpoſitio integre tollitur. Verum non ita de peſte ſentire licet, cum morbus hic a miaſmatis diverſæ naturæ, & ſpeciei, ſed ſumma corroſione donatis oriatur; quapropter tametſi curata ſemel peſte, ſanguis novam acquirat conſtitutionem, ex eo præſervari nequit a miaſmatis aliis omnino diverſis peſtem producentibus; præterea miaſmata peſtilentialia ſanguinis compoſitionem deſtruere conantur, cauſa vero variolarum nequaquam, ſed motum potius in ipſo producit ad cruoris depurationem tendentem.

ARTICULUS II.

De Morbillis.

MOrbilli ſunt maculæ minimæ, & rubræ, aut potius exigui tumores eryſipelatoſi, plani & expanſi atque contigui, pulicum morſus æmulantes, ſed nunquam ſuppurantes, in univerſo corporis habitu cum febre erumpentes: quandoque tot ſimul erumpunt & adeo exigui ſunt, ut unum veluti tumorem eryſipelatoſum conſtituant, & febris ſcarlatinæ ſpeciem æmulentur: ſoli vel cum aliis affectibus complicati recurrunt, epidemice graſſantur, & homines omnis ætatis aggrediuntur: intra ſpatium ſex dierum ſua tempora percurrere ſolent.

Morbillis ingruentibus horror adeſt, & calor ſe mutuo excipientes; dolet, caletque intenſe caput, æger ſiticuloſus, inquietus, vigil, & tuſſiculoſus eſt, ardorem in faucibus ſentit, involuntarie lacrymatur, nauſea & vomitu corripitur, muſculi velut trepidare videntur, & punctiones in cute ægrorum divexant, febris in principio emicat, quæ paulatim accenditur: his delirium fere ſemper adjungitur; ingraveſcentibus ſymptomatis; æger difficile reſpirat, externus corporis habitus calet, & veluti inflammatur, tuncque tumores exigui aciculorum capita æmulantes erumpunt, qui paulo poſt expanſi, & plani rubent; morbillis eruptis, ſymptomata miteſcere incipiunt, niſi complicatio morborum adſit.

Quandoquidem morbilli tantum humorum æſtum producunt, idcirco oportet miaſmata morbillos generantia tenuia, & ad motum aptiſſima eſſe, quo fit ut ſanguis ipſis imprægnatus vehementer æſtuet: quoniam autem hæc ſua tenuitate ſanguinem

nem facile pervadunt, idcirco universam humorum massam ad motum facile concitant; verum quoniam sanguine non subeunt, nisi per ipsius poros, idcirco utplurimum sanguini admiscentur, motum ejus obtundunt, præpedito materiæ æthereæ ingressu, sed ab ipsa ulterius in massam humorum intrusa cum sanguine luctant, hinc morbo incipiente horror & calor se mutuo excipientes, facta majori ipsorum in sanguinem intrusione, major lucta excitatur, & febris cum calore accenditur, quibus serum humorum absumitur; sales antea latentes exaltantur, & sanguis motu velocissimo per omnes corporis partes rapitur; hinc membranarum distensio unde capitis dolor; hinc salivæ salsedo, & gutturis siccitas, unde sitis cum ardore faucium; hinc calor & æstus pulmonum, ob sanguinem in pulmonibus æstuantem, & ad ipsos velocius confluentem, unde difficilis respiratio & tussis. Quoniam vero ob maximum humorum æstum sanguis celerrime ex arteriis ad partes truditur; ex eo quoque fit, ut motus trusionis in vasis capillaribus partium propter eorum inflexiones turbetur; ex eo nascuntur anxietates, vigiliæ, tantusque ille calor, qui morbillos consequitur; verum arteriæ cerebri frequenter, irregulariter, valide oscillantes, irregularem fibrarum emporii efficiunt succussionem; unde ideæ vividæ & irregulares nascuntur, quibus anima in errorem inducitur, quia festinanter & absque prævia reflexione ideas conjungit, vel separat, & liquidum nervorum celerius e cerebro exprimunt; trudetur igitur cum impetu ad musculos, unde ipsorum veluti trepidatio, corque ex eo valide & prompte contractum, motum sanguinis circularem magnopere accelerabit, quo adhuc fiet ut difficilius per membranarum textum provolutus, in ipsis arietabit, unde fortior, validiorque duræ meningis oscillatio, e qua involuntarius lacrymarum effluxus,

xus, cum nauſea & vomitu naſcetur, quia ſtomachus muſculus eſt antagoniſta carens, qui liquidum nervorum uberius accipiens minimum ſtimulum ferre non poterit, quin ad potentem contractionem determinetur, ſed a potente duræ meningis oſcillatione, ſanguinis motus mirum in modum intenditur, ut Baglivii experientia demonſtratur; fluit igitur ſanguis cum ſumma celeritate, & magno cum impetu ad corporis habitum perducitur, ubi pravis miaſmatis inquinatus tranſpirationem fervidiorem deponet, qua cutis pungetur.

Quoniam vaſa ſanguifera cutis inflexa & mille modis contorta, ſanguinem miaſmatis inquinatum libere præterlabi non ſinunt, cum ipſe ſolidis partibus multum gravidatus, viam adeo ſtrictam & inflexam pervadere minime capax ſit. Fit igitur in angulis inflexionum ejuſdem hærentia; & tumores exigui acicularum capitula æquantes erumpunt, & ſanguis ibi hærens a retro ſequente urgetur. Arietat igitur in vaſorum tunicas, eaſque dilatare conatur; niſu ergo iterato rimas exiguas in ipſis efficiet, per quas guttula ſanguinis effuſa tumorem rubrum, planum, & expanſum efformat, eodem prorſus modo, ac pulices vaſa mordendo ſimilem ſanguinis effuſionem efficiunt. Vero ſimile tamen non eſt, poſt pulicum morſus ſanguinem per poros vaſorum exire, ſed potius per veram vaſorum rupturam a pulice mordente factam.

Quandiu vero miaſmata ſanguinem inficiunt, tandiu tumores rubri, & plani cutem afficiunt, perſeverante ſcilicet vaſorum apertura: verum a tanto motu inteſtino concepto, liquata veluti humorum maſſa, & partibus ſanguinis minus coeuntibus, uberior fit per poros cutis miaſmatum diſſipatio, quibus ſanguis minus inquinatus, minus etiam commovetur, & minus ad cutem protruſus,

ſus, vaſa leviter aperta coaleſcere ſinit; quo facto, nulla amplius guttula ſanguinis effunditur, ſed qui ſuit effuſus continua vaſorum vicinorum oſcillatione diviſus per poros cuticulæ avolat; tuncque humorum maſſa placide agitata, partes iſtius iterum, ſed alio prorſus modo coeunt, ob mutatam earum figuram, ſuperficiem, magnitudinem & proportionem.

De cauſa efficiente morbillorum, ſicuti de iis quæ ad illos contrahendos diſponunt, ſuperius actum eſt, dum de cauſa variolarum.

DIAGNOSIS.

Morbilli imminentes, ſeu ante eruptionem non facile cognoſcuntur, quia ſigna eos indicantia æquivoca ſunt; cacochylia primarum viarum eadem quoque efficit: verum ſi morbilli in regione graſſentur, ſuſpicio eorum non levis movetur, ſi memorata ſymptomata obſerventur; & ideo incerta & æquivoca multum ſunt in his, qui primi morbillis corripiuntur, certiora vero dum plures alii in eadem regione jam ſunt qui iiſdem laborent; hoc quoque ſigno morbilli indicantur, necnon variolæ, cum uterque affectus imminens eadem ſymptomata pariat, ni æger variolas & morbillos paſſus fuerit: ſi variolas, morbillis corripietur; ſecus vero, variolis: at ſi quidquam eorum nondum paſſus fuerit, expecta per diem: nam ſi morbilli futuri ſunt, tumor fiet planus & ruber; ſi variolæ, tumor creſcet donec ad ſuppurationem pervenerit. An detur morbillorum complicatio necne, facile noſci poteſt attendendo ad omnia ſymptomata quæ morbillos comitantur.

PROGNOSIS.

Tametsi inter morbos massam humorum depurantes morbilli annumerentur, salutares tamen non sunt existimandi; quandoque adeo viget humorum æstus, vel cacochylia prius intra corpus latens exaltatur, ut symptomata vehementia sint, & partibus internis labem gravissimam minentur. In morbillis, adulti pueris magis periclitantur; tum quia cutis illorum firmior morbillorum eruptionem difficilem efficit, tum quia textura sanguinis strictior miasmata intromissa non facile exire permittit, majorque fit æstus, unde graviora symptomata: hinc patet morbillos eo graviores esse, quo difficilius erumpunt; mitiores vero quo facilius; quia pauca, eaque mitia symptomata morbillis facile erumpentibus accidunt, secus vero; quoniam igitur periculum in eruptione est, iisque semel eruptis omnia evanescunt, vel mitescunt mala, eo igitur erunt periculosiores, quo difficilius erumpent; sicque si morbillis erumpentibus delirium obscurum cum sopore & motibus convulsivis sit, animo sæpe linquatur, pulsus debilis & inæqualis sit, cum pallore, & rigore extremitatum, aut æger magnopere oppressus difficile respiret, alvum involuntarie deponat, inflammatio partes internas occupet; hæc symptomata gravissima mortem utplurimum significant, nisi erumpentibus morbillis mitigentur; secus, si facile erumpant, sanitatis futuræ signum est. Demum morbilli cum febre putrida, maligna complicati, graviores sunt quam si soli invadant.

Curationem morbillorum, dum de variolis curandis, agemus, quoniam utrique affectui eadem curandi methodus conveniat.

ARTICULUS III.

De definitione & differentiis Variolarum.

VAriolæ a varis denominationem accepere, ſuntque tumores exigui, phlegmonodæi, in ambitu rubri, dolentes, pruriginoſi, & paulatim ſuccreſcentes, donec ad ſuppurationem pervenerint; internas ſicut & externas partes occupant; faciem & oculos cicatrice relicta ſæpe deſœdant. Aliæ ſunt diſtinctæ puſtulis a ſe invicem diſcriminatis, & per exteriora corporis diſperſis; aliæ confluentes quæ poſtquam nunc eryſipelatis ritu, nunc ſub morbillorum forma eruperunt, non in molem ſpectabilem attolluntur, at ſibi invicem implicitæ, ſe habent inſtar veſiculæ continuæ totum vultum contegentis. Rurſus puſtulæ aliquando plures, quandoque paucæ: dum puſtulæ plures efflореſcunt, minimæ ſunt, dum paucæ, majores; hinc variolæ in depreſſas & faſtigiatas dividuntur; ratione coloris & mollitiei, plures aliæ differentiæ afferri poſſent, quas tamquam inutiles omittimus.

Verum ut omnia quæ ad variolas pertinent accurate examinemus, totum variolarum decurſum in tria tempora, quaſi in tot ſtadia dividere oportet. Primum erit eruptionis, ſecundum ſuppurationis, tertium exſiccationis.

In primo ſtadio, ſequentia obſervare licet: incipit morbus ab horrore & calore mutuo ſe excipientibus; dolet caput, ſplendor in oculis obſervatur, calor mox ubique ſuccenditur, rubor faciem invadit, vomitu, aut nauſea æger frequenter corripitur, membra trepidant, lacrymæ involuntariæ fluunt, tuſſis cum difficili reſpiratione

multum ægrum moleſtat, febris cum vigilia & anxietatibus accenditur; hæc quoque ad aliquot dies extenduntur priuſquam variolæ erumpant, ut ſæpius obſervavi; iiſque ſopor, motus convulſivi, lipothymia aliquando adjunguntur variolis difficile erumpentibus.

Verum ſi variolæ facile erumpant, eæque diſcretæ ſint, quæ confluentibus mitiores ſunt, pauciora, eaque mitiora ſymptomata obſervantur, & variolæ morbo incipiente quandoque erumpunt abſque febre, ut ex Auctorum obſervationibus conſtat. *Schenckius* filium ſuum abſque febre variolis correptum aſſerit: *Epiphanius* plurimos, ſed præprimis alterum atque alterum domeſticos nobis detegit: *Foreſtus* gravidam proponit, quæ variolas tam copioſas eſt paſſa, ut plures *Foreſtus* viderit, nunquam illam, interea miratur febre carentem. Similia exempla *Rhodius* proponit: vidi & quoque non ſemel variolas adeo benignas, ut an æger febricitatus ſit, certus nunquam fuerim.

In ſecundo ſtadio ſymptomata recenſita mitеſcunt, tumores elevantur, albeſcunt, & pruritum afferunt, ſi variolæ de ſpecie benignarum ſint; verum ſi graviores, vel malignitatis alicujus participes fuerint, febris cum vigilia & anxietatibus magis ſuccenditur, æſtuant partes internæ, lingua areſcit, ſitis maxima eſt, ardorque faucium non levis, cum difficili deglutitione & reſpiratione; vox rauca fit, palpebræ deprimuntur, exacerbationes recurrunt, abdomen intumeſcit, alvus materiam fœtentem frequenter ejicit: ſi variolæ cum febre maligna complicentur, exanthemata livida a puſtulis ſeorſim efflореſcunt cum magna virium proſtratione.

In tertio ſtadio, puſtulæ nigreſcere incipiunt, aperiuntur, & ichorem emittunt fœtentem, cruſtaque dein nigra obducuntur, tunc febris aliaque ſym-

ſymptomata penitus deſinere ſolent, niſi febris maligna cum variolis complicetur, vel multa cacochylia, morbo invadente, intra corpus latens & exaltata febrem cum reliquis ſymptomatis foveat: verum quoniam variolæ confluentes puſtulas innumerabiles efficiunt, idcirco ſuppuratio tanta in his eſt, ut febrem lentam pariat, & ideo variolæ maraſmum poſt ſe aliquando relinquunt, ſuppurato præſertim pulmone, aliave parte interna notabili; at ſi ſuppuratio inteſtina aggrediatur, dyſenteria graviſſima & fere ſemper lethalis producitur, quod experientia pluries me docuit.

Variolæ juxta variam ſpeciem citius aut tardius ſua percurrunt tempora; benignæ a ſexta ad octavam diem ſuppurant, & a decima ad duodecimam vel decimam quartam exſiccantur, & perfecte terminantur: graves vero & malignæ ſuppurationem extendunt ad decimam octavam, & aliquando vigeſimam, & cicatrices altas relinquere ſolent; invadunt variolæ vere, ſæpius autumno & cum febribus malignis epidemice graſſantibus non raro recurrunt.

ARTICULUS IV.

De ſymptomatum, quæ in Variolis obſervantur, explicatione.

QUoniam variolæ inter morbos epidemicos annumerantur a miaſmatis per aerem diffuſis oriri eas oportet, quæ utprimum ſanguinem inquinarunt, motum ipſius obtundunt, poros ſulphurum replendo, & partes ſtrictius complicando. Verum quæ ſunt tenuiora per poros ſulphurum intromiſſa intimum ſanguis ni-

nis textum penetrant, & cum ipso luctare incipiunt, unde vasa hæc æstu fortius stimulata edunt majores oscillationes, quibus humores ad circulum celerius absolvendum impellunt: verum quoniam partes sanguinis strictius cohærentes adeo celeriter vasa capillaria præterlabi non possunt; dure igitur partes ipsorum confricant; unde calor & rigor se mutuo excipientes; quo etiam difficilior erit humorum motus in membranarum textu, quæ ductibus insensibilibus, & mille modis contortis constantes, sanguinem tunc libere præterlabi non sinunt, unde distractio ipsorum sequetur, unde dolor capitis cum calore ipsius; verum quoniam incepto sanguinis æstu, sulphura magis expandi oportet, undique patebunt pori, per quos miasmata sanguinis textum copiose subeuntia cum ipso validius luctabunt, unde febris cum calore maximo, faciei rubore, & summo capitis dolore excitabitur.

Verum quoniam cruditates prius in primis viis latentes hunc sanguinis æstum promovere possunt, hæ quoque ad sanguinem delatæ, mole & aciditate sua partes humorum strictius ligare poterunt, quapropter sanguis miasmatis inquinatus & æstuans, nec se depurare, neque per partium substantiam libere & expedite movere se poterit; hinc humorum decubitus in capite aut thorace; unde sopore, motibus convulsivis, vel suffocatione æger oppressus ad extrema reducetur, facto cerebri aut pulmonum infarctu: verum si æstus sanguinis vel medicamina tunc opportune exhibita fluiditatem humoribus restituant, parteſque sanguinis magis ad invicem recedere, sulphurque expansione debita frui possint, restituitur vasorum oscillatio & sanguinis cum impetu per omnes partes traductus calorem accendit, respirationem difficilem & laborioſam efficit, auctoque motu serum absumitur,

tra-

trachæaque arteria exſiccata halitus fervidiores e pulmone exeuntes tuſſim continuam & moleſtam efficiunt, ſanguis pari cum impetu in cerebrum ruens, & in ipſo æſtuans arterias ad fortius & irregulariter oſcillandum ſtimulat; hinc mentis aberratio cum vomitu, concuſſis enim fibris emporii, liquidum nervorum uberius ad partes amandatur, unde ventriculi major contractio, cum muſculus ſit antagoniſta carens.

Quoniam vero arteriæ capillares a ſanguine tantopere æſtuante ſtimulantur, hæ validius oſcillantes nervos vicinos commovent, hinc membrorum trepidatio, & ſubſultus; hinc ſplendores oculorum, auriumque tinnitus, concuſſis nervis opticis, & auditoriis, ab arteriis oculo & auri famulantibus, potentius oſcillantibus; ſed & anxietates non leves ex eo quoque oriri oportet; rurſuſque quoniam partes ſanguinis integrantes miaſmatis inquinatæ integram fluiditatem recuperare non poſſunt, niſi depuratione ſanguinis abſoluta; motus igitur humorum in orbem difficile per vaſa cutis exiliſſima, milleque modis intorta fiet; quapropter ſanguis in angulis vaſorum ſiſtitur, ibique tumores capita acicularum æmulantes efficiet. Aſt quoniam ſanguis ad cutem appellere non deſinit, paulatim etiam a ſanguine congeſto ſuccreſcent tumores; verum vaſa infarcta diu impetum ſanguinis æſtuantis ſuſtinere non poterunt; fiet ergo eorum ruptio, ſanguiſque miaſmatis inquinatus effundetur: verum quoniam tumores adnati vaſa in ambitu poſita comprimunt, hac etiam compreſſione ſanguinis motum retardabunt; inde puſtulæ in ambitu rubeſcent, & tota cutis quaſi inflammata rubedine perfundetur, ſi puſtulæ plurimæ erumpant.

Quoniam vero ſanguis effuſus præ copia non poterit avolare, ſed fermentationem putridam potius concipiet, hinc major puſtularum elevatio,

cum

cum anxietatibus, pruritu & febris incremento, donec ſuppuratione facta, omnia remiſerint, tuncque puſtulæ ſubtumidæ & albicantes cernuntur. Verum ſi maſſa humorum maxima miaſmatum quantitate fuerit inquinata, infinitus pene puſtularum numerus efflorescet, totaque cutis unica veluti puſtula obſeſſa videbitur, unde puſtulæ depreſſæ, & non faſtigiatæ erunt; idem etiam fiet ſi cruditates a primis viis provenientes ſanguinem inſpiſſent, qui viſciditatem adeptus ad vaſa cutis exiliſſima vix appellere poterit, unde ſubitanea puſtularum depreſſio cum facie decolore, extremitatum frigiditate, magna virium proſtratione, delirio obſcuro, motibus convulſivis, & pulſu debili atque inæquali, nam præpedita ſanguinis depuratione, miaſmata intus retineri oportet, quæ æſtum ſanguinis intendentia eum in pulmones & cerebrum irruere faciunt, unde infarctus utriuſque viſceris cum ſymptomatibus jam expoſitis. Verum ſi nihil obſtet quominus ſanguis libere ad cutem devolvatur, ibi quoque in vaſis diſruptis miaſmata deponet, quæ una cum pure genito e puſtulis diſruptis exibunt; unde depuratio maſſæ humorum abſolvetur; quoniam vero tantum fermentationis motum ſanguis non contraxit, niſi propter miaſmata quibus ante inquinatus fuerat; qua igitur proportione per cutem exibunt, ea quoque motus ſanguinis naturalis & pacatus reſtituetur, parteſque ipſius novam molem & ſuperficiem adeptæ, ad novos eoſque ſtrictiores amplexus pervenient, unde nova, atque melior ſanguinis conſtitutio.

Verum ſi pus acre atque corroſivum admodum fuerit, aut magna quantitate in puſtulis genitum cicatrices amplas & indolentes efficiet; ſique ſuppuratio in oculis contingat, membranæ ejus eroſæ partium ſyſtaſim invertent, unde viſus abolitio variolas ſequetur, præſertim ſi palpebris propter intu-

tumeſcentiam clauſis, pus in oculo diu retineatur, qua mora magis corroſivum factum, oculi texturam rodet. Quoniam vero variolis partes internas ſicut externas affici diximus, fiet quoque partium internarum ſuppuratio, ſi magnus ſit puſtularum partes internas afficientium numerus; hinc exulcerantur pulmones, inteſtina, quorum exulcerationem febris hectica & maraſmus ſequuntur. Facta ſuppuratione puſtulæ cruſtis nigricantibus obducuntur, quæ paucis diebus in ſquamas decident; & emunctoria, prius obſtructa reſerantur; unde mucus narium, ſaliva, ceterique humores e ſanguine ſecernendi facilius derivant, quibus depuratio ſanguinis abſolvitur; tuncque reſtituta humorum fluiditate circularis motus facilius abſolvitur: verum ſi a motu fermentationis intenſo per decurſum variolarum facto, partes ſanguinis integrantes irregulariter fuerint diviſæ, ad regulares amplexus non venient; unde vitioſa admodum poſtea erit ſanguinis conſtitutio, & ad decubitus efficiendos aptiſſima.

ARTICULUS V.

De Diagnoſi & Prognoſi Variolarum.

DIAGNOSIS.

TRia ſunt tempora variolarum a Medicis accurate noſcenda: eruptionis, ſuppurationis, & exſiccationis. Eruptæ variolæ conjiciuntur a motu, capitis dolore, lacrymarum effluxu, horrore, & calore ſe mutuo excipientibus, membrorum trepidatione & ſubſultu, cutis rubore & puncturis, variolis tunc graſſantibus, & ægro nondum iis correpto, certo declaratur, tumoribus exiguis in ambitu rubris undique ef-

efflorescentibus, qui successive crescunt, & in pustulas notabiles abeunt.

Suppurationis tempus indicatur albedine pustularum, & effluxu ichorosæ materiæ; exsiccationis vero ex crustis lividis vel nigricantibus satis deducitur.

An depressæ vel fastigiatæ, discretæ vel confluentes sint, ex pustularum inspectione patet. An variolæ cum febre maligna recurrant necne, ex exanthematum, quæ variolis adjunguntur, efflorescentia, & symptomatum quibus stipantur, vehementia, sufficienter patet.

PROGNOSIS.

Varia statuenda juxta temporum diversitatem prognosis: cuilibet enim variolarum stadio sua prognosis competit. Variolis difficile erumpentibus cum magna symptomatum caterva, ut sopore, motibus convulsivis, pulsus intermissione, lipothymia; vomitu assiduo, & molestis anxietatibus, gravissima prognosis statuenda, facile vero & cum pauco mitiorum symptomatum numero erumpentibus, mala non sit prognosis: semel eruptis, si symptomata desierint, benignæ vocantur variolæ: si perseverent, nec maxima tamen sint, periculosæ dicuntur: si maxima semper sint, & illarum eruptio nullum levamen ægro attulerit, pessimæ & lethales utplurimum sunt. Pustulis crusta inductis, & tempore exsiccationis accedente, si symptomata intendantur, pessimum; si remittantur, bonum: si febris tunc non desierit, suspicio non levis movenda de suppuratione partium internarum, tuncque si pus expectoretur, phthisis, & inde marasmus.

Rursus si pustulis exsiccatis, febris gravissima sit, cum abdominis intumescentia, dolore, & summo ca-

calore, alvi dejectiones frequentes, fœtidæ & purulentæ ſint, malum. Plures vidi his ſymptomatis correptos, paucoſque ab his ſanatos obſervavi. Variolis erumpentibus vel exſiccatis, ægroti utplurimum moriuntur; pauci, ſuppurantibus: ſi variolæ ſubito deprimantur, malum; cohibita ſanguinis depuratione, excernenda retinentur, quæ in cerebrum vel pulmones ruunt, cum maximo ægrotantium damno: hinc confluentes variolæ diſcretis periculoſiores, quia in confluentibus ſanguis difficilius depuratur, magiſque miaſmatis inquinatur. Variolæ cum exanthematibus factæ utplurimum lethales, ſolæ ſeu ſimplices minus periculoſæ. Adulti plus pueris in ipſis periclitantur, tum ob firmiorem cutis texturam, & majorem humorum æſtum. Senes hac ratione his raro corripiuntur, ſemel correpti ferme omnes moriuntur. Tandem ut certior variolarum prognoſis afferatur, attendendum ad morbi indolem, & anni tempeſtatem; vere & autumno minus graves eſſe ſolent; hyeme graviores quam æſtate; aliquando variolæ mites graſſantur; ſæpe adeo malæ, ut pauci ab his ſanentur; quod peſſimam aeris conſtitutionem demonſtrat.

ARTICULUS VI.

De Curatione Variolarum.

TRia ſunt variolarum tempora, & cuique peculiaris methodus curandi competit; ante variolarum eruptionem opus eſt, ægroque perutile, depleta fuiſſe vaſa, necnon primas vias cacochylia contracta exoneratas fuiſſe purgantium ope; quo enim eſt minor humorum copia in vaſis contenta variolis accedentibus, minor eſt ruptionem vaſorum

aut

aut humorum decubitum timendi locus, & præterea quo majus eſt ſanguini fermentanti ſpatium, eo quoque ejuſdem depuratio facilius abſolvitur: pariter cacochylia in primis viis latens, a febre variolarum exaltata earum eruptionem impedit, motumque febrilem, & reliqua variolarum ſymptomata auget; & ideo puerorum conſervationi conſert, graſſantibus variolis, modice & cum cibis boni ſucci eos alere, ne cacochyliam contrahant; ingruentibus variolis, æger diæta tenui, eaque refrigerante, juſculis tantum & ptiſana utatur, in lecto collocetur, cubiculo moderate clauſo, nec pluribus tegumentis cooperto, æſtate paucioribus, hyeme vero pluribus; & in hoc ab Antiquorum methodo diſcedimus, qui tegumentis & igne accenſo cubiculum excalefaciebant; temperatus ſit aer, quantum fieri poteſt, quem æger inſpirat, calidior motum ſanguinis intendendo, ejuſque partes volatiles diſſipando, depurationi nocet: frigidior vero partes ſanguinis cohibendo, poros cutis conſtringendo, miaſmata egreſſura retinet.

Eadem ratione cardiacis, ſudorificis potentioribus multum nec diu inſiſtere bonum eſt; perturbant enim ſanguinis motum, parteſque excernendas cum ſanguine confundunt, æſtumque cruoris intendunt, ſerum diſſipant; inde delirium, febreſque peſſimæ oriuntur, idcirco confectio de hyacintho, pulvis viperinus, & ſemen contra identidem exhiberi poterunt; ſi febris non valida ſit, ſi vires aliquatenus proſtrentur: verum ſi variolæ cum febre maligna complicatæ recurrant, vireſque magnopere frangantur, pulſus debilis ſit, lipothymia identidem fiat, cum faciei pallore, minimoque extremitatum calore, fortiora cardiaca exhibere oportet, & ab emeticis & purgantibus curatio inſtituenda ſic,

℞. *Senn. mundat. dr. ij. rhabarb. contuſ. & tartar. ſolubil. ana dr. i. ſemin. contr. p. i. coq. in aq. font. unc. viij. in colatur. diſſolv. mann. calabr. unc. ij. add. tartar. emetic. ſolub. gr. iv. capiat ſtatim.*

Si æger puer ſit, minuetur purgantium doſis pro ætate: potio etiam cardiaca præſcribetur, qua cochleatim uti poterit æger.

℞. *Aquar. card. benedict. & ſcabioſ. ana unc. iij. theriac. veter. dr. j. confect. de hyacinth. & pulver. viperin. ana dr. ſem. granor. kerm. antimon. diaphoret. ana ſcrup. i. naph. unc. ſem. f. potio.*

Purgatione celebrata, ſi febris intendatur, ſanguinem mittere oportet, & cardiacis inſiſtere donec eruperint.

Si imminente variolarum eruptione, febris vehementer accendatur, cum ſiti, dolore capitis, faciei rubore, deliranſque ſit æger, ſordibus inteſtinorum clyſteris ope depletis; ſanguinem e talo mittere oportet, venamque iterum in brachio ſecare, ſi febris cum eadem vehementia perſeveret; potus erit ptiſana refrigerans; juſculis, cremoribus hordei vel oryzæ alternatim exhibitis æger veſcatur, nec ægrum multum tegere, cubiculumve excalefacere convenit; a cardiacis & ſudorificis ſe abſtinere utile eſt, & refrigerantibus inſiſtendum, donec variolæ eruperint. Utprimum eruptio fit, nihil moliendum, ſed tantum diæta tenuior præſcribetur; alvus, ſi pigra fuerit, clyſteribus emollietur, & per intervalla, ſed non ſæpe, confectionis de hyacintho tantillum exhiberi poterit, totumque eruptionis opus naturæ committendum, quod ſola facilius feliciuſque quam re-

mediis adjuta abſolvet. Hac methodo variolæ paucos interimunt, nec oculi facieſque cicatricibus deformantur; ſudorifica enim ſæpe in variolis exhibita, æſtum ſanguinis concitant, eumque veluti inflammant, unde frequentior partium internarum inflammatio, ſeri conſumptio, & ſalium extricatio; unde pus magis corroſivum, & majori quantitate generatur; hinc partium internarum frequentes ſuppurationes & tabes; diluentia vero æſtum humorum compeſcunt, partes ſanguinis integrantes diluunt, ab invicem removent, miaſmata facilius rapiunt & ad poros cutis traducunt; unde facilior & felicior variolarum eruptio.

Accedente ſecundo variolarum ſtadio, ſeu ſuppurationis tempore, variolis eruptis, & creſcentibus, ſi febris reliquaque ſymptomata remittantur, natura curationem variolarum abſolvet; juſculis & cremoribus æger cibabitur, nec plenius eſt cibandus, ne, ſuppurantibus variolis, accendatur æſtus. Verum ſi febris non deſierit, ſed pauliſper remiſſa videatur, & æger ſiticuloſus adhuc & anxius, vigilque ſit, diæta tenuis & refrigerans tenebitur; nec cardiacis ullatenus inſiſtendum, ne inflammatio partes internas aggrediatur. Tunc ſordes clyſtere emollienti & purgante expellendæ ſunt.

℞. *Decoct. clyſter. commun. ref rigerant. & laxant. lib. ſolv. medull. e aſſ. recent. unc. i. ol. olivar. unc. ſem. f. clyſter*; *minuatur doſis juxta ætatem.*

Narcotica etiam mitia & parva doſi exhiberi poterunt, ad ſomnum conciliandum.

℞. *Syrup. papaver. alb. unc. ſem. aq. cichor. & naph. ana unc. j. capiat.*

A laudano autem cave, ſicut a ſyrupi papaveris

ris albi nimia dosi, qui in primo variolarum stadio, seu tempore, nunquam exhibendus est. Verum si irrito refrigerantium usu, æstus sanguinis vehemens sit, tumores paulatim succrescant, & æger delirio corripiatur, venam iterum aperire oportet, in talo præsertim, ne sanguis celerius & uberius ad cerebrum ruens, infarctum hujus visceris producat; temperare & diluere magis convenit, quam cardiacorum & sudorificorum usu sanguinis æstum magis accendere ac veluti inflammare.

Verum si eruptis variolis, incipiente suppuratione, subito tumores deprimantur & veluti evanescant, cum virium prostratione, pulsu debili, faciei pallore, delirio obscuro, motibus convulsivis, quæ omnia mortem veluti præsentem ægro minantur, quoniam hæc subita in variolis mutatio citra causam externam fit, & non nisi a cruditatibus sanguinis motum subito sistentibus, ejusque depurationem impedientibus, procedere potest, illico præscripta potione cardiaca, ut supra, paretur potio sequens, nisi præ virium imbecillitate, evacuatio fieri non possit, tunc cardiacis tantum, imo & potentioribus uti oportet.

℞. *Senn. mundat. dr. iv. rhabarb. contus. tartar. solubil. & semin. contr. ana dr. j. coq. in aq. font. unc. xij. in colat. & express. solv. mann. calabrin. unc. iij. fiat potio pro duplici dosi, primæ adde vini emetici unc. i. & sem. statim exhibeatur.*

Celebrata purgatione, si pustulæ non crescant, & symptomata non remittantur, de salute ægri penitus quasi desperandum, & cardiacis fortissimis insisterdum, ut lilio Paracelsi, elixirio proprietatis ejusdem, sali volatili viperarum, spiritui salis ammoniaci, & consimilibus; verum si evacua-

tione facta puſtulæ eleventur, ſymptomata evaneſcant & febris maxime remittatur, nihil ultra moliri oportet, quia natura quod ſupereſt facile perficiet; ſed ultimum variolarum tempus expectare, diæta tenui & refrigerante ſervata. Verum ſi propter puſtularum numerum, palpebra ſuperior tumida nimis oculum tegat, tunc oculis ſequentem infuſionem illinire oportet.

℞. *Croc. oriental. p. i. infund. in aq. roſar. unc. ij. cola & ſerva ad uſum.*

Pulma vel panno hac infuſione imbutis, oculus ſæpius fovebitur, ut lacrymæ exire poſſint, quæ ibi cum pure hoſpitantes, globum rodere poſſunt.

Utprimum ſuppuratio copioſa fit, puſtulis purulenta materia depletis, vaſa cutis minus undique comprimuntur, ſanguinis circuitus in ambitu corporis liberius exercetur, parteſque antea tumidæ detumeſcunt, & puſtulæ cruſtis nigricantibus obducuntur; tunc ſi variolæ mites & benignæ ſint, ſymptomata penitus remittuntur, ſomnus, appetitus, & reliquæ functiones in ſtatu naturali reſtituuntur, excepto pruritu non levi, quo non parum ægroti fatigantur; deinde cruſtæ in ſquamas decidunt, & cicatrices leves poſt ſe relinquunt. At ſi graves & periculoſæ multum variolæ fuerint, ob ſuppurationis abundantiam, fœtor inſignis eſt, febres, vigiliæ, anxietates, ægrotum maxime moleſtant, tuſſiculoſus eſt, & aliquando ſputa purulenta rejicit, inducta pulmonibus a variolis ſuppuratione, vel inteſtina ſuppurata dyſenteriam lethalem producunt, aut febris hectica & maraſmus variolas ſequuntur, facta abundanti partium internarum ſuppuratione, tunc ad fauces demulcendas & ſputorum exſpectorationem promovendam ſequens loock parabitur.

℞. *Flor.*

℞. *Flor. malv. p. ij. glycyrrhiz. raſ. dr. ij. infund. leviter in aq. hord. fervent. unc. iv. col. & exprim. add. ſyrup. violar. & ol. amygdalar. dulc. ana unc. i. & ſem. f. loock.*

Purgatio quoque celebrabitur ſequenti modo vel conſimili.

℞. *Rhabarb. contuſ. & ſemin. lin. ana dr. j. ſemin. coriandr. p. i. coq. in aq. font. unc. vj. in colat. & expreſſ. ſolv. pulp. caſſ. recent. dr. vj. mann. calabrin. unc. i. & ſem. f. pot.*

Poſt purgationem lac aſininum, vel vaccinum cum æqui: partibus decocti hordei ebutyratum per menſem, & ultra præſcribetur, diæta inſtituetur cum cremoribus hordei, oryzæ, & juſculis alternatim ſumptis, & ſi ſomnus deſit, ſyrupo papaveris albi, vel laudano conciliabitur, ſi neceſſe ſit.

Verum ſi dyſenteria fiat ob inteſtinorum exulcerationem, clyſteres etiam ſemel, aut bis in die injicere convenit: parentur cum decocto hordei, lacte, ovorum vitellis, terebinthina, decocto omaſorum, vel capitis vervecum, vel cum mucilaginibus ſeminis cydoniorum, & pſyllii in aqua roſarum extractis, non omiſſo lactis uſu.

Si variolæ debite exſiccentur, & omnia ſymptomata evaneſcant, nihil moliri oportet, ſed clyſterem vulgarem alternis diebus injicere, ut alvus libera ſit, & paulatim cibos ægro offerre, ut ſtomachus his ſenſim aſſueſcat. Aer liberior & frigidior eſt fugiendus, ne cohibita inſenſibili tranſpiratione, ſanguinis depuratio interrumpatur & intus retineantur excernenda, quæ a ſanguine in partibus depoſita, tumores, ulcera fiſtuloſa, & cariem non raro producunt. Abſoluta puſtularum ex-

exſiccatione, æger purgabitur more ſolito, & poſtea muniis priſtinis reſtituetur.

Antequam curationi variolarum finem imponamus, quædam dicenda de cicatricibus in variolis vitandis, quæ faciem aliquando defœdant: his præcavendis attenti maxime Antiqui, acu aurea puſtulas aperire ſuadebant, utprimum ſuppuratio inceperat, ne pus morans altas cicatrices efficeret; verum inutilis & nocua aliquatenus hæc methodus eſſe poteſt, cum pure nondum facto, tumor apertura irritari poſſit; idcirco nihil tale hodie adhibetur, & tamen pauciores ſunt quos variolæ tam graviter afficiant, quia hodierna variolas curandi methodus non cardiacis aliiſque ſudorificis & diaphoreticis, ſed potius diluentibus, & refrigerantibus inſtituitur, unde pus minus ſalſum & corroſivum fit, minuſque alte cicatrices generantur.

ARTICULUS VII.

De Variolis lymphaticis, Gallice la Vèrole volante.

PAuca dicenda ſuperſunt de altera variolarum ſpecie, quæ quoniam cito, & intra trium dierum ſpatium ſua percurrunt tempora, lymphaticæ dicuntur tametſi puſtulæ plus quam in variolis legitimis tumeant. Hæc puſtulas habet albicantes, diſcretas, magnas, nunquam aut ſaltem rariſſime ſuppurantes; obſervavi tamen eas aliquoties ſuppurare, quod etiam a Practicis obſervatum eſſe didici. Utprimum apparent, ſubito creſcunt, & intra diem ad ſummum faſtigium perveniunt; tertia die exſiccantur, & nullum humorem præter ſerum effundunt, cruſtaque obducuntur nigricante, quæ cito ex-

excidit, nec cicatrices poſt ſe relinquit; hæc adeo mitis & benigna eſſe ſolet, ut raro ægros cogat in lecto decumbere. Ante eruptionem, dolorem, appetitus proſtrationem, calorem levem, & aliquas anxietates producit cum motu febrili exiguiſſimo, quæ facta puſtularum eruptione evaneſcunt; nonnunquam puſtulæ erumpunt abſque ullo antecedente ſymptomate; unde modo mitior, modo gravior morbus eſt; aliquando variolas anteit, & priuſquam puſtulæ exſiccentur, variolæ legitimæ erumpunt, tuncque non fit puſtularum eruptio ſine febre, aliiſque ſymptomatibus recenſitis; ſemel utplurimum, aliquando bis in eodem ſubjecto erumpit.

Quandoquidem variolæ lymphaticæ, ſeu ſpuriæ puſtulas habent tumidas multum & albicantes, quæ facile, & abſque ulla gravium ſymptomatum caterva erumpere ſolent, & intra anguſtum trium dierum ſpatium ſua tempora percurrunt, ex eo etiam ſupponere licet, miaſmata a quibus hæc variolarum ſpecies inducitur, adeo craſſa eſſe ut intimam ſanguinis ſubſtantiam penetrare non valeant, ſed a phlegmate ſuccum lymphaticum componente dilui, atque rapi; quapropter hæc miaſmata potius quam ſanguinem inquinabunt; quoniam vero mole ſua lymphæ fluiditatem imminuunt, fiet igitur ut lympha, quæ ad corporis habitum detrudetur, motum circularem non abſolvat, ſed ibi hærere cogatur. Verum quoniam ductus lymphatici veſiculis tenuibus conſtant, invicem hiantibus, facta lymphæ aggeſtione veſiculas repleri, & turgeſcere oportet, & propter continuum lymphæ appulſum, & veſicularum tenuitatem, tumor cito impenſe dilatabitur, donec facta veſicularum crepatura, humor ſeroſus effundatur, a quo puſtulæ albedinem acceperant; verum quoniam veſiculæ puſtulas efformantes multum quoque turgeſcere poſſunt, fieri autem poterit compreſſio ductuum ſanguiferorum,

qui

qui in vicinia ſunt; unde ſanguine aggeſto eorum crepatura accidet, quam ſuppuratio ſequetur, præſertim ſi ſanguis motu aliquo præternaturali invadentibus variolis lymphaticis agitetur: hinc variolæ illæ aliquando ſuppurant, & earum ſuppurationem comitatur febris cum aliquibus ſymptomatis ſuperius recenſitis.

Quoniam vero aliqua ex his miaſmatis ſatis tenuia eſſe poſſunt, ut ſanguinis textum ingredi queant, fiet quoque aliquando motus febrilis cum capitis dolore, inappetentia & anxietatibus, priuſquam vero variolæ lymphaticæ erumpant, quæ mitiora ſunt multum quam in variolis legitimis, niſi uterque affectus ſimul recurrat, ut aliquoties obſervavi: variolæ lymphaticæ cito & intra triduum ſua percurrunt tempora, quia lympha ſanguine aquoſior, multumque fluxilior citius poteſt depurari.

Ex his quæ ſuperius dicta ſunt dum de variolis, patet ratio cur ſemel in vita aut ſæpius hic affectus redeat, cum affinis multum ſit uterque morbus, & in hoc potiſſimum differant, quod ſanguis in variolis legitimis, lympha vero in ſpuriis afficiatur.

Nec diagnoſi egent variolæ lymphaticæ, cum definitione allata ſatis dignoſcantur.

Prognoſis quoque earum repeti poteſt ab iis quæ relata fuere, dum earum indolem expoſuimus: nec demum quidquam dicendum ſupereſt de earum curatione, cum fere ſemper opus naturæ ſit. Si remedia neceſſaria eſſe videantur, eadem adhiberi poterunt, & eodem ordine, ac quæ ſuperius in curatione variolarum propoſuimus.

F I N I S.